4

DE VITA, ET REBVS GESTIS S. MAIOLI ABBATIS CLVNIACENSIS.

LIBRI TRES.

Hiſtoricè, & dogmaticè ſcripti.

A IO: BAPTISTA ALBERTO C. R. Congregationis Somaſchenſis.

GENVÆ, Apud Petrum Ioannem Calenzanũ, & Io: Mariam Farr. ſoc. 1638.

Superiorum permiſſu.

D

EMINENTISSIMO PRINCIPI
ac Reuerendiss. D. D.

CAROLO EMANVELI
S. R. E. CARDINALI PIO.

LIBERO tandem fidem, quam tibi obstrinxerã, Cardinalis Eminentissime, pollicitus aliquod ingenij monimentum obseruantiæ tesseram singularis ergà te meæ. Maiolum Abbatem Cluniacensem affero, sanctitatis laude, doctrina, rerumquè prudentia clarissimum. Sunt, qui illum vtroq; lumine orbatum

putarint, perperam illi quidem, ac in re certissima cęcutientes. Sed tãta ab his iniuria exoculatus, sub tui nominis patrocinio videbit lucem eruditi huius sæculi, vt ipse suo sæculo Christianę pietatis, arctiorisq; sanctimoniæ lucem attulit. Est, cur illum tibi potissimùm nuncupem, quòd nostræ Congregationis tutela est, tuo nomini addictissimæ. Accedit, quidquid ego meo peculiari nomine tibi debeo. Singularia sunt in me Petri Cardinalis Aldobrandini Archiepiscopi Rauennatis merita, Principis, omni, dum viueret, laude, commendationeq; dignissimi. Verùm ille, quidquid in me contulit, tibi dedit, meque ille adeò summa humanitate complectebatur, quià mirificè tibi gratum

id

id esse sentiebat, vt proptereà eius in me beneficia à te profecta, tibi referre & velim, & debeam. Apud alios, plerosquè sacros Antistites, quibus per Italiam ex præsidum meorũ imperio, Christianę rei promouendæ nauaui operam, fecisti tu idem quà exemplo, quà commendationibus, ac litteris, vt honesto auctoritatis, existimationisq; loco habitus fuerim, ipsequè tuam humanitatem, quàm liberaliter in me profunderes, tunc maximè palàm fecisti, cum Romæ te conuenientẽ, vsquè ad inuidiam beneuolentiæ significationibus onerasti, clientũquè tuorum numero piè nõ minus, quàm amanter adscripsisti. Hisce meritis, qui me totum debeo, an non saltem aliquo hoc grati animi

testimonio pro mea tenuitate res-
ponderem? Tu illi præsidio vt sis,
tutelamq; præstes, non est, cur plu-
ribus à te postulem, cuius ab insita
humanitate, genuinaq; animi ma-
gnitudine ingenium est, vt preclarè
aliquid audentibus illicium esse, ità
præclarè ausis obstrepentes, prohi-
bere. Tuis semper consilijs, ac
votis sic adsit Deus, vt post hanc;
quæ fluxa est, quamquam summa,
æternam adeas fœlicitatem.
Genuæ ex Collegio nostro S. Ma-
riæ Magdalenæ decimo tertio Kal.
Maij Anno MDC XXXVIII.

Eminen. Tuæ dominationis

humill. seruus

Io: Baptista Albertus C. R. S.

Præfatio ad Lectorem.

PAVCIS præfandum mihi est (Amice Lector) qui quod præfari potuissem in libros ipsos congessi. Rarò enim præfationes appositæ libris, si paginam excedant, leguntur, cum illud obijci possit, *Longior prologus, quàm Comœdia*. Hoc tamen te monitum volo, me in hac S. MAIOLI IV. Abbatis Cluniacensis conscribenda vita, S. Odilonis eius discipuli vestigijs inhæsisse, ac quandam veluti paraphrasim super eius verbis, ne à veritate aberrarem, contexuisse. Auctores alios illius sæculi non reieci, sed tamen ità sum amplexatus, vt ijs tantùm ad veritatem indagandam, in re præsertim antiquissima, & minus nota vterer. Baronium, qui in obseruatione temporum accuratissimus est, sum sequutus, magistrumq; mihi statui. Bibliothecam Cluniacensem à Domno Martino Marrier Ordinis Cluniacensis professo, non ità multò pridem Lugduni excusam, cum notis Andreæ Quercetani eruditissimi vi-

ri diligenter euolui, ab eaquè, quod ad rem faciebat, excerpsi. Quòd verò non historicè tantùm, sed etiam dogmaticè, præter leges conscribendi Summorum Virorum vitas eam conscripserim, hæc potissimum ratio fuit, ne ieiuna nimis, quæ norma fuit, atquè exemplar benè viuendi, B. Maioli vita in conspectum hominum sine aliquo ornamento prodiret. Tu, si quid non ingratum accidet, æqui, boniquè consule, sin minus excusa, & voluntatem demerendi, pro facto accipe. Memor, quòd ad amicum quemdam scribens, monet Horatius mu-

Si quid nouisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his vtere mecum.

CVm Vitam S. Maioli Abbatis Cluniacensis, nostræ Congregationis Titularis a P. D. Io: Baptista Alberto Congregationis nostræ Theologo, & Concionatore, duo ex nostris Patribus Theologi quibus id comisimus perlegerint, atq; in lucem edi posse probauerint; Nos pro eo munere, quod ad nos spectat, facultatem concedimus, vt seruatis seruandis imprimatur. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Genuæ in Collegio nostro S. Mariæ Magdalenæ die 27. Martij 1638.

Don Desiderius Cornalbius
Præpositus Generalis.

EX commissione Reuerendiss. P. Vincentij Preti Inquisitoris Genueñ. perlegi pium, atq; eruditum opus R. P. D. Io: Baptistæ Alberti Congregationis Somaschæ, *De Vita, & rebus gestis S. Maioli*, nihilq; in eo Catholicæ fidei, aut bonis moribus aduersum deprehendi.

D. Io: Burlus Congregationis Somaschæ Theologus, & librorum Censor.

Imprimatur

Fr. Vincentius Pretus à Serraualle
Inquisitor Generalis Genuæ.

Anagramma

IOANNES BAPTISTA ALBERTVS
Clericus Somaſchenſis 449.

Anagrammatiſmus.

An Mundi Sol es, ſi lucem Maiolo
tribuis? benè ominor. 449.

Epigramma.

HEſperijs Phœbus vultũ iã cõdat in vndis,
Purpureũ poſt hac, nec vehat axe diem.
Sol nouus alter ades, nullã qui proijcis vmbrã
Alberte, at toto ſpargis in Orbe iubar.
An Sol es Mundi, tribuis ſi *lumine* lucem
Maiolo? benè *nunc ominor ipſe tibi.*
Ergò age, ſydereos radijs iam perfice curſus
Aurea ſic Virtus aurea dona feret.

Ioannis Caballi Laudenſis
eiuſdem Congregationis.

IOANNES BAPTISTA ALBERTVS
Sancti MAIOLI vitæ Scriptor,
Qui Gallicum solem mortalibus vales
Simul & parere, & nunciare,
Hucusq; enim apud nos Maioli fama mansit
semisopita,
Modò tuos sensit Albores.
Albere enim prius decebat Polum,
Qui tantum erat lumen excepturus.
Laudantia tibi ingenia defutura ne dubites,
Omnes enim primo diluculo illucescenti Albæ
Canoræ Aues applaudunt.
Tibi MAIOLE congaudeo
Qui cęcus, dū viueres, existimatus, videns tamē,
mortuus,
Incipis modò videre,
Et meritò lumen ab Alba recepisti;
Lętare,
Pulchrior etiam maior euades,
Tuus enim Maius cœpit Albere.

Hieronymus de Nigro
eiusdem Congreg.

Ad S. Maiolum Abbatem.

Ioannis Augustini Cremæ I. C. & Patritij Sauonensis auctoris conciuis, & affinis.

TETRASTICHON.

CAEcutijt, qui te cæcum, Maiole, putauit,
Cum magè quàm Solis, lux tua, luce micet.
Alberti ingenio hoc totum, ingenuóq; labori
Debetur; Quæ illi præmia digna dabis?

INDEX

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM IN VITAM S. MAIOLI.

Ex libro Primo.

Egregia

Ex libro secundo.

Ex

Index librorum, & capitum finis.

DE VITA, ET REBVS GESTIS
S. MAIOLI
ABBATIS CLVNIACENSIS CONGREGAT. SOMASCHÆ TITVLARIS.

LIBER PRIMVS.

Monasterij Cluniacensis commendatio.
CAPVT I.

EA semper, atque adeò excellens præpotentis Dei fuit ergà Ecclesiam, quam ſuo ſibi ſanguine acquiſiuit amoris magnitudo, ac prouidentiæ diſpoſitio, vt ab illius ęnaſcentis exordio ampliſſimis eam muneribus, eximijsq; decorare ornamentis nunquam deſtiterit. Nam præterquàm

quòd sacramenta, quibus in nouam vitam quodammodò renascimur, & ad verum salutis portum deducimur, ipse instituit, sanctos viros ad sui, Apostolorumq; imaginem efformatos per omnes mundi ętates exsuscitauit, quorum cœlesti doctrina, puriorisq; vitæ exemplo humanæ mentes à vitijs ad veram solidamq; virtutem capessendam inflammarentur, ex quo sibi Ecclesiam *Non habentem maculam, neq; rugã.* perpetuò conseruaret; At licet olim nonnihil retardari sit visus primus ille charitatis, & fidei calor, qui in Apostolis, Apostolorumque discipulis efferuescebat adeò, vt ad præclara quæq; pro Christo obeunda esset multitudinis credentium, *Cor vnum, & anima vna*, cum furente humani generis hoste excitata est per omnes terræ partes lanięna in Martyres à Tyrannis, qui radicitus Christianam fidem extirpare, perditæque Gentilitatis vanissimas superstitiones propagare nitebantur, reddita tamen Ecclesiæ pace, quæ Constantino Augusto imperante diuinitùs contigit, mirabile dictu est, quàm breui prostratis inanium Deorum simulachris, excisis aris, sublatis profanis ritibus, vni, ac vero Deo Christo Redemptori, triumphalique Cruci non modò fuerint toto orbe erecta templa, sacrataq; altaria, verùm etiam innumera Religioso-

gioſorum hominum excitata monaſteria, ſacræ ædes ædificatæ, in quibus Chriſti Domini, Apoſtolorumq; in communi viuentium inſtitutum quaſi poſtliminiò refloreſceret, ac nuncupatis Deo votis per propriæ voluntatis abnegationem, & voluntariam paupertatem ad perfectionis faſtigium Deo auſpice perueniretur.

Compertiſſimum eſt in Oriente primùm Conſtantino Magno adhuc ſuperſtite, & filijs, eam fuiſſe Monachorum multitudinem, vt præſidente Antonio, Pachomio, Baſilio Magno, multiſq; alijs ſanctiſſimis viris in vnico dumtaxat cœnobio, aut ſub vnius ſaltem Abbatis regimine ad quinque millia, & amplius Monachorum vitam piè, religioſèq; traducerent; nequicquam debacchantibus Arianis hæreticis, frementeq; Iuliano Apoſtata Chriſtianæ fidei deſertore, ethnicæq; impietati addictiſſimo, cuius imperium biennij tempus non exceſſit.

In Occidente porrò Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum, ac litterarum parentem, Benedictumq; Monaſticæ diſciplinæ aut inſtitutorem, aut reparatorem non ſegnius hac in re adlaboraſſe, neque pauciora inſtituiſſe monaſteria clarius eſt, quam vt à me longioribus debeat demonſtrari. Quantum autem vtilitatis, atq; ſplendoris Eccleſiæ Dei, ex ſacris religio-

ſorum ordinibus ſemper emanarit illud argumento eſse poteſt, quod licet ſummum in Eccleſia gradum Deo ipſi proximum quo Summus Pontifex inauguratus Chriſtiani Orbis arbiter, Cœleſtisq; regni ianitor declaratur, multi, ijdemq; doctrina, ſanctitateq; præſtantes tenuerint, illum tamen ſapientiſſimè, atq; ſanctiſſimè, qui ex ſacris religioſorum familijs ad eam dignitatem fuerunt euecti adminiſtrarunt. Cum enim ad regendos populos, eosq; in pijs Chriſtianæ fidei moribus, ac diuinis myſterijs excolendos in primis neceſsarium ſit, vt qui præeſt, cupiditatibus omnibus careat, virtutibus excellat, nihilq; omninò præſtet quod in bonum Chriſtianæ Reipublicæ, animarumq; ſibi commiſsarum ſalutem non cedat, is proculdubio hęc facilius præſtabit, qui è ſacris ædibus Deo dicatis aſsumitur, vbi per temporalium rerum deſpicientiam, ac ſupernarum meditationem, cœleſti quodam diuinæ gratiæ rore fœcundatur animus, vt ad Apoſtolici culmen Imperij, ac Pontificiæ Maieſtatis honorem non immeritò euehatur. Et verò ſi prærogatiua hæc vlli, ijs certè tribuenda eſt, qui ex D. Patris Benedicti ſchola atq; Ordine, Cluniacenſi præſertim Congregatione, quæ Benedictinæ familiæ prima eſt, ac nobiliſſima prodierunt. Tres enim San

ctiſſimi

ctissimi Summi Pontifices ex sola Cluniacensi Congregatione numerantur, qui & vitæ integritate, & doctrinæ præstantia, & admirabili rerum agendarum prudentia, vt qui maximè enituerunt, Gregorius VII. Hildebrandus ante Pontificatum vocatus, quem Soanæ in Hetruria plerique, Saonæ in Liguria alij (vt Leander Albertus) natum fuisse memorant, quo neminem turbulentissimis illis temporibus contrà Tyrannos Ecclesiam Dei vastantes constantius libertatem, atq; immunitatem Ecclesiasticam defendisse Scriptores omnes fatentur. Vrbanus secundus, qui sacram illam expeditionē, qua Gothifredo Bollionio Duce Hyerosolima, totaq; ferè Syria, ac Palęstina à nostris recuperata est in Claramontis Concilio instituit. Paschalis secundus sub quo extinctis Pseudo Pontificibus, & apud Hyerosolimam tribus militaribus Religiosorum Ordinibus Templariorum scilicet, Theutonicorum, atq; Hospitalariorum, qui primò S. Ioannis, tum Rhodij, postremò Melitenses dicti sunt excitatis, maximos orthodoxa fides visa est fecisse prouentus.

Cæterùm licet hæc per se magna, atq; honorifica sint, longè tamen maius, atq; honorificentius existimari debet, quòd Petrus Damiani Cardinalis Hostiensis, vir diuinarum humanarum-

rumq; litterarum cognitione celeberrimus de Cluniacensi Monasterio, eiusq; Monachis elogium contexuit, cuius sanctissimi viri verba, quia miram cum pietate eloquentiam præseferunt, hic attexere non grauabor.

Vidi (inquit) *Paradisum quatuor Euangeliorum fluentis irriguum, imò totidem spiritualium riuis exuberare virtutum, atq; hortum deliciarum diuersas rosarum, ac liliorum gratias germinantem, & mellifluas aromatũ, ac pigmentorum fragrantias suauiter redolentium. Et quid aliud Cluniacense Monasterium nisi agrum Domini plenum dixerim, vbi velut aceruus est cœlestium segetum, chorus tot in charitate degentium Monachorum? Ager ille quotidiano sanctæ Prædicationis ligone proscinditur, & in eo cœlestis eloquij semina consperguntur. Illic spiritualium frugum prouentus aggeritur, vt horreis postmodũ cœlestibus inferatur. Vnde cum te (fœlix Cluniace) considero hoc tibi nomen impositum non sine diuini præsagij dispositione perpendo. Hoc quippe vocabulum ex clunibus, & acu componitur per quod videlicet arantium boum exercitium designatur. Bos .n. in clunibus aculeo pungitur vt aratrum trahat, & arua proscindat; illic enim humani cordis ager excolitur, vnde seges illa colligitur quæ prom-*

promptuarij cœlestis ædibus infercitur. Hanc de Cluniaco etymologiam affert S. Petrus Damiani.

Sed longè pulchrior, ac verior est, quam Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis lib. 1. cap. 3. a loci illius, ac situs decliuitate deductam docet. (inquit enim) *Ad vltimum prædicta institutio iam pænè defessa auctore Deo elegit sibi Sapientiæ sedem vires collectura ac fructificatura germine multiplici in Monasterio cognomento Cluniaco, quod etiam ex situ eiusdem loci adcliuo, atq; humilitale sortitum est nomen, vel etiam quod aptius illi conuenit à cluendo dictum, quoniam cluere, crescere dicimus, insigne quippe incrementum diuersorum donorum a sui principio in dies locus idē obtinuit. Ita Glaber.*

Tanti autē facere ostendit se Cluniacenses Monachos S. Petrus Damiani, vt quoniam in Gallias cum maximo vitæ discrimine (ob insidias quas illi in itinere tetenderat Cadalous Pseudo Pontifex) de latere legatus missus fuerat ab Alexandro secundo Summo Pontifice, vt propulsaret mala quibus Cluniacenses Monachi a Gaufredo Andegauensium Comite affecti fuerant, nihil ab illis aliud compensationis, gratiq; animi titulo exposcit, quàm vt sui in orationibus reminiscantur, Deumq; propitium sibi reddant.

Accedit ad hæc Gregorij XII. iudicium, qui in præfatione Benedictinæ Constitutionis asserit Cluniacensem Ordinem in Ecclesiæ Paradiso plantatum a mari vsque ad mare vberes fructus honestatis producere; tàm multis enim per ea tempora Cluniacensis ordo florebat virtutibus, tantoq; apud omnes in honore habebatur, vt Gelasius secundus Pontifex Maximus, qui anteà Monachus S. Benedicti fuerat, Cluniacum se se contulerit, tamquam ad perfugium, ac securitatis asilum, vt Henrici IV. Imperatoris quem sacris interdixerat, furorem declinaret, quod renouato schismate Mauritium Bordinum Braccarensem quondam Episcopum contra fas, & leges Ecclesiasticas Pontificem Maximum crearat. Ibi constitutis ijs quæ pro Sedis Apostolicæ dignitate necessaria videbantur pleuritide correptus mortem obijt. Ibi etiam Callixtus secundus eius succesor, qui ex Archiepiscopo Viennensi, cum non minus natalium splendore, quàm morum præstantia floreret inuitus licet, ac reluctans Summus Pontifex est renuntiatus.

Dignum autem notatu est quod auctor Cluniacensis historiæ, & Vgo eiusdem Monasterij Monachus narrant, Callixtum secundum Pontificem, statim atq; in Cluniacensi Monasterio

Summi Pontificatus insignia accepit Abbati pro tempore illic existenti ex speciali priuilegio concessisse vt S. R. E. Cardinalis officio fungeretur; in cuius rei signum manu propria (vt habet Chronicon Cluniacense) ipse Callixtus Pontiũ tunc Abbatẽ annulo suo vestiuit. Hic est ille Pontius VIII. Abbas Cluniacensis notissimæ, sed ambiguæ satis famæ, qui Cluniacensis Monasterij regimine Callixto Pontifici remisso in Palestinam vt sacro in bello militaret profectus lanceã, qua Christi Domini latus fuit transfixũ in fęlici illo certamine, quo innumeri pœnè infideles trucidati sunt, præferens, insignem nostri reportarunt de hostibus victoriam.

Sed neq; Henrici II. Imperatoris pium, atq; illustre factum præteriri silentio debet, qui vnà cum Chunegunde Augusta vxore in Sanctorum numerum non ità multò post cum marito relata Romam profectus, vt a Benedicto VIII. quem schismate eiectum in suam sedem restituerat coronam Imperij acciperet, cum sacra illa in pompa, qua decorari Imperatorijs insignibus à Romano Pontifice Imperator solet, gemmatum aureum globum Mundi instar pretiosissima ornatum Cruce suscepisset, Pontifice ipso, Primoribusq; Romanorum spectantibus accersit, qui illum ad Cluniacense Monasterium

rium in Gallias, vbi tunc Odilo Sancti Maioli alumnus, ac successor præerat Abbas, deferret, hoc addens (vt ait Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis, qui tunc aderat) *Nullis melius hoc præsens donum possidere, & cernere congruit, quam illis, qui mundi pompis calcatis Crucem expeditius sequuntur Saluatoris. Qui protinus misit illud ad Cluniacẽsa Monasterium Galliarum, quod etiam tunc temporis habebatur Religiosissimum cæterorum, cui & alia dona plurima contulerat ornamentorum.* Hucusq; Glaber, scaber potius ob stili, & dictionis scabrositatem.

Constat ergò Cluniacense Monasterium non solùm apud sæculares Principes, sed apud ipsos Christi Vicarios in pretio semper fuisse habitum, adeò vt pro re summi honoris ducat, (vt re vera est) Franciscus Rugerius Congregationis nostræ Theologus, in eo quem de vita, & actis S. Bassiani Laudensis Vrbis Episcopi, & tutelaris edidit libro cap. 22., quod in celebri sacrarum reliquiarum eiusdem Sanctissimi Præsulis trãslatione quæ ex Laude vetere æquata solo a Mediolanensibus in nouam deportatæ fuerunt, Abbas ipse Cluniacensis vnà cum Victore Summo Pontifice (in schismate tamen creato) Fridericus Secundus Imperator, & Patriarcha

Aqui-

Aquileienſis omnium qui aderãt ſine controuerſia dignitate eminentiſſimi, Arcam in qua ſacra pignora aſſeruabantur primi extrà Eccleſiam celeberrima pompa auguſtiori vt collocarētur loco proprijs humeris aſportaret; Atq; hæc de multis Cluniacēſis ordinis laudibus pauca dixiſſe ſit ſatis. Nunc ad eius originem veniamus.

Cluniacenſis Monaſterij origo, progreſſio, & Abbatum ſeries.

CAPVT II.

PRæclariſſimus S. Patris Benedicti ordo a Caſino monte Campaniæ, vbi is Monaſticæ diſciplinæ ac regularis obſeruantiæ fundamenta iecit, Caſinenſis appellatus, diu poſt mortem Sanctiſſimi ſui inſtitutoris morum probitate, atq; innocentis vitæ exemplis adeò floruit, vt celebritate nominis, præclaraq; ſpiritualis ſobolis numeroſitate mundum repleuerit vniuerſum. Ex hoc, vt Ioannes Trithemius habet, ad ſua vſq; tempora decem, & octo Summi Pontifices, ducenti Cardinales, mille, & ſexcenti Archiepiſcopi, quater mille Epiſcopi, quindecim mille ſeptingenti Abbates doctrina, pietate, &

pru-

prudentia conspicui, ac deniq; viri in Sanctorum numerum relati quindecim mille sexcenti, præter alios qui ad illius notitiam minimè peruenerunt, enumerantur. Vnus autem pro cunctis sufficeret splendidissimum Ecclesiæ lumen S. Gregorius ab excelsitate rerũ gestarũ cognomento Magnus, qui dum Summi Pontificis munus obiret, Casinensem ordinem, cuius ipse professor fuerat, primus approbauit. Sed quoniam, vt fert rerum humanarum conditio; quæ nusquam æquabilem vitæ tenorem seruat, cœperat iam senescere, atq; à primæuo sui instituti rigore deflectere tàm piè excitatus ordo, timendum proculdubiò erat, ne omninò concideret, diffueretq;, nisi tanto a diuina prouidentia obuiam itum esset malo.

Libet hic Iacobi Vitriaci Cardinalis eruditissimi, ac pijssimi, qui Honorij Tertij Pontificis, & Friderici secundi Imperatoris ætate floruit de Benedictino ordine magna ex parte labefactato testimonium offerre, qui in Historia sua occidentali cap. 20. qua religiosarum familiarum, aut iacentem disciplinam deplorat, aut stantem collaudat, de Casinensi sic habet. *Quamdiu (inquit) gratam Deo, & amicam religioni dilexere paupertatem ambitionis, & solicitudinis securi, vigilijs, ieiunijs muniti, noctu, diuq;*

diuq; in hymnis, psalmis, & laudibus diuinis perseuerantes, lectionibus, & sacrarum Scripturarum meditationibus insistentes, in cilicio, & cinere, & cordis contriti compunctione non solùm sua, sed totius mundi peccata lugentes eorum fama sanctitatis, & odor sanctæ conuersationis non mediocres, & infimos solùm afflauit, verùm & Reges, ipsosq; Principes summos allexit, adeò vt diuitijs, & amplis patrimonijs relictis, & habitu Religionis suscepto post odorem vnguentorum suaue olentium cursu contenderent, beatos etiam se rati si elæemosinas suas apud ipsos collocassent. Hinc perfectum breui, vt cum ijs temporibus alia Monasteria Religiosorum instituta nata necdum essent, hi immensum possessionibus aucti cunctos opum affluentia superuaderent. Postquam igitur dulce diuitiarum venenum agris, vineis, decimis, & innumeris alijs vectigalibus eorũ superfusum impinguati, incrassati, dilatati maiorem partem recalcitrare cœperunt. Et ne persequar alia prædæ, ac direptioni ipsi cum Monasterijs expositi his maiora adiere discrimina quod qui suspicere, & integros mores laudare consueuerant illustres viri paulatim euaderent haud minus ad auferendum proni, quam olim fuerant ad largiendum prompti. Hæc atq; alia deplorando exaggerat doctissimus Cardinalis.

Inter-

Intercesserant autem trecenti, & amplius anni, ex quo a S. patre Benedicto institutus fuerat tàm nobilis, laudatissimusq; ordo, agebaturq; annus a Christi Domini natiuitate nongentesimus decimus, cùm diuina prorsus prouidentia effectum est, vt Berno, non ille quidem Augiensis Abbas, qui in numero scriptorum Ecclesiasticorum adnumeratur, sed alter Gigniacensis, Benedictini tamen ordinis, ex Comitibus Burgundiæ, & comitis Engolismi filius, S. Euticij fundatoris Monasterij Belmensis discipulus, vt Claudius Robertus ait, qui vt collapsam Benedictini ordinis disciplinam, ac regularem obseruantiam in pristinam suam dignitatem reuocaret, Cluniacum profectus (qui pagus in Aquitania propè Gronam fluuium situs est) non tàm pecunijs sibi ab auia sua Comitissa ex testamento relictis, quàm liberalitate, ac munificentia Gullielmi cognomento Pij Ducis Aruernorum, Pictauiensiumq; comitis Monasterium Cluniacense toto orbe celeberrimum cum Ecclesia D D. Petro, & Paulo Apostolis dicata exędificandum curauit, cuius exemplum sequuti complures alij Principes viri monasteria passim Deo, Diuisq; erexerunt, adeò vt post duras hyemes flores tandem apparuisse viderentur. Berno autem a Gedeone Archiepiscopo Veson-

tio-

tionensi Abbas ordinatus necdum benè constructo Monasterio, & satis amplo censu ditato post sexdecim sui regiminis annos; Salutis verò humanæ nongentos viginti sex, pietate, & mansuetudine insignis, decessit.

Huic statim subrogatus est Odo ex nobili Francorum gēte, Remigij quondam Antisiodorensis auditor, ab Archiepiscopo Vesuntionensi Benuino in Abbatem ordinatus. Hic inter sacros Scriptores in Bibliotheca Patrum, & ab Ecclesia inter Sanctos relatus, ea prudentiæ, doctrinæ, ac sanctitatis fama enituit, vt Baronius non dubitet eum Magni titulo decorare, quòd deploratissimo eo sæculo (vt ipse ait) a Deo fuerit electus, qui Hyeremiæ Prophetæ instar euelleret, dissiparet, plantaret, & ædificaret, meritòq; (iuxta illud propheticum) ædificator sepium appellandus esset. Hic a Leone VII. & Stephano IX. Summo Pontifice bis accersitus in Italiam, vt pacem, inter Vgonem Regem Italiæ, & Albericum Romanum Patritium conciliaret, optimè de Republica Christiana meritus in omnium admiratione erat. Maximam verò laudem consequutus est, quod cum videret plurima Monasteria sui Ordinis a Regulari obseruantia omninò ferè defecisse, & eorumdem iura a varijs Principibus vsurpari illa non minori

labore

Maioli iuuentus, & litterarum studia.

CAPVT V.

NVlla inter hominis ætates iuuentute periculosior, nulla ad vitia, ea præsertim, quæ ad corporis voluptatem pertinent procliuior; siuè id ex naturali quodam impetu, & sanguinis ebullientis ęstu, qui tunc maximè efferuescit, siuè ex neglecta in ætatis anteactæ decursu, morum, institutionisq; disciplina, siuè ex prauo æqualium sociorum exemplo, quod non leui ad turpia quæq; consectanda esse solet incitamento, seu deniq; ex licentia quadam peccandi, quę tunc maximè consequitur cum exacta pueritia atq; adolescentia, quæ castigationibus parentũ, magistrorumq; obnoxia est, sui quodammodò iuris esse homo incipit, & quasi quædam repagula perrumpens, metum, quo tenera ætas in officio continetur, facilè ad ea quæ cupit animus, se totum effundit.

Hæc nimirum ætas illa est, quæ a Pythagora philosopho per ypsilon litteram significatur, cùm scilicet in ipso iuuentutis limine, quasi in biuio quodam constituta adolescentis mens, vel

ad dexteram hoc est per laborem ad virtutem, vel ad sinistram, hoc est ad vitia per otium deflectit; cumq; alteram ex his ingressus est viam, nonnisi difficulter etiam cum senuerit, ab ea recedere potest. Exempla, quæ ad hoc probandū non pauca apud profanos, & sacros auctores suppetunt; quia passim cuiq; sunt obuia libens prætereo, præterquam quod quotidiano in dies experimento verum hoc esse nimium quantum patet? Atq; hoc est, quod pulcherrimo figmēto poeta nobilissimus de Hercule comminiscitur; adstitisse nempe illi dum iuuentutem ingrederetur hinc Virtutem, illinc Voluptatem, & vtramq; ad sui sequelam magnis propositis præmijs fuisse cohortatam: Herculem, despecta voluptate Virtuti adhæsisse ex qua illi immortalitas nominis.

Idem sibi Seuerinus Boetius nobilitate generis, atque eruditione non minus quam sanctitate illustris euenisse fatetur, dum lib. 1. de Consolatione Philosophiæ, sibi ægro decumbenti apparuisse affirmat, hinc muliebri, sed honestissimo habitu Philosophiam, illinc lasciuo cultu in omne ostentum pompę comptas elegātissimè, Musas. Quibus quidem à Philosophia increpitis, & ve scenicarum instar meretricularum deturbatis, ad veram fuerit fœlicitatem contemplandā,

rerumq;

rerumq; cælestium possessionem assequendam ab eadem inflammatur. Liceat nunc mihi, neq; in re ficta Herculi, atq; Boetio, Maiolum comparare, cuius mentem diuina Sapientia ita collustrauit in vitæ primordio, vt meritò illud Ecclesiastici dicere posset. *Cum adhuc iunior essem, priusquam aberrarem, quæsiui Sapientiam palam in oratione mea, ante tempus postulabam pro illa, & vsq; in nouissimis inquiram eam.* Cum ergò Maiolum viderent parentes annos anteuertisse sapientia, magnoq; animi impetu ad virtutem ferri, Lugdunum illum ad altiora excolenda studia mittere decreuerunt.

Mos hic ablegandi filios in exteras nationes, laudari ne magis, an improbari debeat, in dubium verti a quibusdam solet. Consultius facturos existimo parentes, si filios extra patriam ad ea tātum publica gymnasia mittant, vbi legum obseruantia, Magistratuum reuerentia, Principum decreta, Dei timor, Ecclesiarumq; cultus vigeat, non verò vbi armorum licentia, immodici sumptus, scortationes, violatio legum, Ecclesiarum contemptus, blasphemiæ, & quod malorum omnium magister est otium, rixæ, atq; contentiones inter partes assiduè exercentur. Cui enim dubium esse potest in benè for-

matis Vniuersitatibus, publicisq; Accademijs acriores ad studia faces addiscentium animis admoueri, mutuisq; concertationibus quodam quasi attritu ingenia acui, quod intra domesticos parietes sub priuata vnius præceptoris institutione nulla potest ratione cōtingere? Maiolus igitur, cum eo, qui decebat comitatu, a parentibus Lugdunum missus est, quæ tunc ciuitas tanquam bonarum artium emporium ab omnibus habebatur, vbi (vt Andreas Quercetanus in annotationibus ad Chronica Cluniacensia ait) preter philosophicas disciplinas Ius Ciuile, & Canonicum prælegi erat solitum.

Est Lugdunum vrbs in planitie intra Rhodanum, atq; Ararim sita, nam quæ in colle a L. Munatio Planco olim fuerat condita, in qua certamen græcæ, latinæq; linguæ institutum erat hac lege, vt victi victorum laudes celebrare cogerentur, nisi ferulis cædi, aut proximo flumine mergi mallent, vna nocte, Imperante Nerone, vt ait Seneca, centesimo postquam condita fuerat anno, penitus conflagrauit. At bono certè, si fas est dicere, omine, exustis enim falsorum Deorum symulacris, abolitisq; vanis superstitionibus, & de illis flammis affulgente mox Euangelij luce, verò Numini templa, araeq; fuerunt exædificata, vt *quæ fuerat magistra erroris*

ris (S. Leonis ser. 1. in Nat. SS. Petri, & Pauli de Roma loquentis verba vsurpo) *fieret discipula veritatis, & magistra*. Hanc S. Odilo in Vita S. Maioli, philosophiæ matrem, & altricem, totiusq; Galliæ ex more antiquo, & iure Ecclesiastico arcem appellat. Quamuis autem inter Lugdunensem, ac Senonensem Archiepiscopos lis olim de primatu fuerit orta, hanc tamen Vrbanus II. Apostolica Auctoritate diremit, Lugdunensique causam adiudicauit, quare & Fridericus II. Imperator Heraclio Petri venerabilis Abbatis Cluniacensis fratri Archiepiscopo Lugdunensi diplomate dato hanc prerogatiuam confirmauit.

Non absre autem fuerit inquirere, quomodo se Maiolus Lugduni, hoc est, in vrbe opulentissima, ac voluptuosissima inter æquales ætate præstiterit, quæq; omnibus exempla probitatis, & modestiæ tum, domi, tum extra, præbuerit. Ac primo quidem sensus ita sibi custodiendos esse statuit, vt nihil de candore illo mentis purissimo, ac modestia morum, quam in patria seruarat, deperiret; sæpius enim repetebat animo, quod Iustinus Martir ad Zenam, & Serenum scribens monet his verbis.

Qui benè viuere vult, is neq; videat multa, neq; audiat, neq; studeat audire, neq; si audiat, aut

videat, audire se, aut cernere existimet; forma enim tranquillitatis animi hinc sumit exordiũ. Domi igitur se quàm libentissimè continebat, eosq; ad conuictum, ac familiaritatem tantummodò adhibebat, quos, & modestia, & honestas morum prę cæteris commendarent. Ac ne quid incautius contingeret, ex quo paulatim in grauiora prolaberetur, minima quæq; vitabat, verissimum illud asseuerans quod ad Celantiam docet S. Hieronymus Epist. 20. lib. 3. *Tanto facilius* (inquit) *abstinemus a quocunq; delicto, quo magis illud metuimus, nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat.* Neq; verò propterea a socijs, & æqualibus, quorum consuetudine minus delectaretur Maiolus rusticitatis arguebatur, quin imò maior inde in eum reuerentia, beneuolentia maior. Studia verò sic amplectebatur, vt nec assiduitas mensuræ, nec mensura methodo, neq; methodus delectationi officeret; Hæc enim omnia ad proficiendum in quauis facultate, ac disciplina necessariò requiri autumant sapientes. Ac licet olim Iulium Cæsarem dictatorem inter spectacula publica, Octauium Augustum eius nepotem inter arma, Portium Latronem, atq; Alexandrum Seuerum inter conuiuia, C. Plinium inter longissima itinera, librorum lectionem, ac

studia

ſtudia non intermiſiſſe, legiſſet Maiolus, ipſe tamen Sanctorum Patrum Auguſtini, Hieronymi, Baſilij, Nazianzeni, reliquorumq; exemplo edoctus, precationibus, ſacrorumq; myſteriorum commentationibus, non minùs quàm ſtudio litterarum inſiſtendum ſibi eſſe ſtatuit, & diuinis quidem meditationibus, vt ſibi, diſciplinarum verò ſtudio, vt alijs prodeſſe poſſet. Ex qua viciſſitudine, ſeu alternatione effectum eſt, vt anxiam illam, nimiumq; peruicacem animi ſollicitudinem, qua pleriq; ita aguntur, vt ad res præclarè obeundas inepti prorſus, minimèque habiles reddantur, deuitaret, verumq; eſſe experiretur, quod in Sapientiæ commendationem ſapientis ore depromptum eſt cap. 8. *Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.* Hunc viuendi tenorem dum Lugduni ſeruaret Maiolus, Deumq; aſſiduis fatigaret precibus, vti ſibi quæ potiſſimum vitæ rationes ineundæ eſſent, ſignificaret, ſenſit paulatim eam ſibi mentem inijci, vt pro Antonio, Antonium quæreret, hoc eſt, relictis ſtudijs, quibus ſub Antonij præceptoris ſui cura imbuebatur, Antonij Ægyptij Anachoretarũ magiſtri mores, vitãq; conſectaretur, quod cum animo qua id ratione effici poſſet meditaretur, a parentibus in patriã reuocatus eſt.

Reditus Maioli in Patriam, & quæ illic ab eo gesta.

CAPVT VI.

PEracto studiorum cursu, satisque de Philosophiæ, sacrarumq; litterarum penu locupletatus Maiolus in patriam rediјt, vbi omniũ, vt par erat, gratulatione, beneuolentiæque significationibus exceptus, illustre virtutum specimen esse ciuibus suis cępit. Indecorum quippe iudicabat, si quæ Lugduni bené viuendi præcepta hauserat, hæc in patria ad proximorum vtilitatem non conferret. Quare in eo maximè totus erat, vt discordes animos conciliaret, pacem vbiq; sereret, lites componeret, innocentibus patrocinaretur. Sæpius carceri mancipatos inuisere, ægros, tùm, quos domi rerum omnium egestas premeret, tùm quos in Xenodochijs malè habitos precariò viuere sciret, benigno comiter alloquio, omnibusq; charitatis officijs prosequi, memor Dominum, horum sibi affecta persona Matth. 25. dixisse, *In carcere eram, & venistis ad me, infirmus eram, & visitastis*

sitastis me; His, alijsq; pietatis operibus, quæ circà corporis curam versantur, ea quæ intimius ad animarum salutem pertinent adiungere, si quos à Christiani cursus meta aberrare, & pecca-torum mole obrutos perniciem sibi, proximisq; creare nosset, non tàm cohortationibus, quàm inculpatæ vitæ exemplo ad meliorem frugem, præscriptumq; rationis, nunquam intermisso conatu prouocare. Id quò facilius præstaret, capto qui vix ad corporis, animiq; vires sustentandas sufficeret somno, tempestiuè strato, ne sibi melior pars diei deperiret, prodibat, antelucanasq; horas precationi, rerumq; cœlestium meditationi in domestico sacello, procul ab omni rerum domesticarum strepitu, tribuebat. Nouerat siquidem hoc Sanctos Patres, quorum celebrius est in Christiana Republica nomen a Dauide, Ioboq; edoctos, fecisse, quorum exemplo vti ad vigilantiam excitari, ita obiurgationibus ab ignauia, torporeq; deterreri quiuis possit.

Repetebat identidem animo, sibique dictum autumabat, quod Ecclesiasticus habet, cap. 39. *Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur, aperiet os suum in oratione &c.* Quin, & Dominum ipsum sub Sapientiæ nomine vigilantibus, non in multam

diem ſtertentibus ſe ſe obtuliſſe inueniendum illis verbis, Prou. 8. *Et qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.* Cibi non minus, quàm verborum parcus: Ita diem tranſigebat, vt ne minimam quidem illius partem abſumi otio pateretur, quin pręclari aliquid ad aliorum documenta, aut profectum præſtaret. In tanta totius vitæ honeſtate preſtantiſſimo Ciue digna elucebat in eo præ ceteris virtutibus demiſſio animi, & modeſtia, adeò vt, licet in omnium ore, atq; admiratione eſſet, nihil magis aſpernaretur, quã admirationem hominum; & laudes. Habet enim hoc virtus, vt ipſa ſibi ſufficiens, popularis auræ, humanęque in primis laudis ſit contemptrix. Quibus ſenſim bonis artibus effectum eſt; vt audito Maioli nomine ſtatim quiſque conciperet idæam perfecti, exactiſſimiq; ciuis.

Regebat per id temporis Matiſconenſem Eccleſiã Naymbodus Epiſcopus, qui percrebeſcẽte in dies Maioli virtutum fàma, Eccleſiaſticæ illum militię adſcribere, atque in Paſtorali munere ſocium, ac ſucceſſorem ſibi deſtinarat. Et viſus eſt pijs Epiſcopi votis campum aperire Deus, ſublato enim non ità multò pridem, qui Archidiaconi dignitatem obtinuerat, Epiſcopus honeſtum nactus eſt locum, cui Maiolum induceret. Eum igitur accerſitum rogat, hor-

tatur,

tatur, vrget, velit se in Ecclesiasticorum ordinē, tùm ad Dei, tùm ad Matisconensis Ecclesiæ obsequium, tùm ad animarum salutem, quo nihil Deo carius esse potest cooptari. Hoc audito Maiolus, vti erat sui, rerumque suarum humillimus æstimator, omniumque terrenarum dignitatum in primis despector, reluctari primò, sequè eo gradu, qui virum ætate grauem, prudentia non vulgari, rerumque Ecclesiasticarum scientia instructum requirebat, indignum profiteri. Cui Episcopus, *An te (inquit) refractarium summo omnium Imperatori, qui te in suis Castris militem, & quidem non gregarium postulat, Maiole præbebis? Vide, ne dum meæ, imò potius diuinæ acquiescere renuis voluntati, te ipsum in obfirmitati nimiùm, peruiuacisq; animi piaculum inducas*. Ea voce victus, ac territus Maiolus, &, vt ait S. Odilo, *Cum id Clerici, & Ciues consuluissent, hortante Episcopo eius Ecclesiæ se passus est Archidiaconum constitui; Humilitatis enim gratia præditus, noluit esse immorigerus iubenti Episcopo, per cuius ministerium id sibi diuinitùs sentiebat imperari: Vt autem res ipsa posteà declarauit, erat hoc maioris cuiusdam vtilitatis causa, ità à Domino ordinatum*. Hactenus S. Odilo.

Archidiaconus igitur, & seruatis de more omnibus

nibus Ecclesiæ gradibus, Sacerdos effectus, cœpit, & quæ Archidiaconi, & quæ Sacerdotis partes sunt accuratius perscrutari, & exequi, sæpius se ipsum sibi sistens adhibito diligenti examine in sua gesta inquirere, num vspiam à perfectissimæ vitæ norma declinarent; num aliquid depræhenderet quod quamuis è virtute factum, posset adhuc vlterius recudendo perfici magis, absoluiq;. Quæ susceptæ vitæ ratio, initæq; dignitatis munus exigerent, ea, num integra fide, solertiq; cura præstitisset addiuè aliquid adhuc posset, ad priorem animi alacritatē, quo promptius in diuinæ voluntatis obsequium, mandatiq; sibi muneris, quibusdam quasi calcaribus incitatus, excurreret. Non quæ iam peregerat, sed quæ sibi peragenda essent, vt perfectionis metam attingeret, exemplo Pauli extendentis se ipsum ad ea quæ priora sunt, & quæ retrò erāt obliuiscentis, intueri. Sacrum missæ sacrificium quotidie Deo offerre; Ad Canonicas horas tùm diurnas, tùm nocturnas in Choro persoluendas Clericis omnibus præire. Diuini autem verbi præco factus, non inani verborum strepitu, aut fucata lenocinijs oratione, quod se se ostentantis animi indicium est, sed solida, vereq; cęlesti eloquentia auditorum mentes à peccatorum fœditate deterritas, ad prioris vitæ labes eluen-

das

das, salutemq; animæ procurandam inflammare dicendo contendebat.

Intereà Fulcherius eius parens accedente ad Senium diuturna ęgritudine ex hac vita migrat; quem paucos post dies solatio viri orbata subsequitur mater. Vtrique Maiolus decumbenti adstitit, nulla in re defuit, benedictione impetrata extremos spiritus hausit; honestissimèq; parentauit; non pręficis adhibitis, aut conductitijs lamentatoribus, qui ementito luctu, dolorem quem non afferrent, ostentarent; Sed sacris precibus, ac votis, pijs largitionibus, sacrificijs, alijsq; honestis, sanctisq; operibus, quibus defunctorum animæ mirificè iuuantur, citiusq; è Purgatorio carcere, Beatorum cętibus adiunguntur. Corpora eorum in maiorum suorum sepulchro, adiecta funebri, piaq; oratione, qua ipsorũ laudes strictim comprę hendebantur condidit. Solus itaq; defunctis; ac tumulatis parentibus, adita amplissima hæreditate, latum sibi aperiri campum sensit ad charitatis, & pietatis officia præstanda, ad quæ iam tum eius mirificè animus incalescebat. Quamobrem quà subleuandis inopia, atq; egestate pressis, quà reficiendis, aut de nouo ædificandis Ecclesijs, paulatim consumpto omni censu, atq; omni ferè re familiari profusa, cum nihil omninò sibi reli-

quum

quum fecisset, quadam die Grimardus eius Æconomus, & rerum domesticarum curator eo adductum se sensit, vt non haberet quo necessaria ad victum compararet. Re ad Maiolum delata, tantùm abest, vt ex tam insperato nuncio aliquid mœroris perciperet; quin potius lætatus apprimè est, quòd de Dei Opt. Max. in se prouidentia experimentum aliquod capere posset. Citò igitur ad Ecclesiam Diuo Michaeli dicatam, quam ipse pietatis ergò construxerat, accurrens, pronolutus in genua orationi se dedit. Dum ibi de Dei benignitate, liberalitateq; confidens attentius orat, argenteos quosdā nummos ante se positos videt. Quod cum Dęmonis astu factum esse existimaret, relictis nummis, aliam est Ecclesiam ingressus, ibique iterum orans eosdem illos nummos contuetur. Sed cum tertio aliò digressus eosdem omninò repe ri sset, in Diuinam id prouidentiam, quam orando poposcerat, referens, exceptos solidos Grimardo, qui miraculi magnitudinem fuerat admiratus, dedit, quibus, & domesticis necessitatibus factum est abundè satis, & egenorum inopiæ obuiam itum. Hic postea Grimardus (vt in Chronico Cluniacensi habetur) heri sui exemplum sequutus, & Cluniacensi militiæ nomen dedit, & piè, ac sanctè obijt.

Cluniaq;

Cluniacensem habitum Maiolus sumit ab Adamaro Abbate.

CAPVT VII.

CLuniacense Monasterium ad Gronam flumen Aquitaniæ positum, & a Guillelmo cognomento Pio, Duce Aquitaniæ, & Comite Aruernorum erectum, vt cap. 2. demonstratum est; quamuis Guillelmus Paradinus lib. 5. Annalium Burgundiæ, Petrus Sanjulianus lib. 2. & 3. antiquitatum Matisconensium, & Iacobus Seuertius par. 2. de Episcopis Matisconensibus Guarino, seu Vuarino Comiti Matisconensi, & Cabilonensi eius Monasterij excitationem tribuant, non amplius, quam quindecim milliaribus à Matisconensi Ciuitate abest. Huc Maiolus modò per domesticas curas, muniaq; Ecclesiæ liceret, frequens se conferebat. Ea enim tunc erat Cluniacensis Monasterij opinio Sanctitatis, & virtutum, vt facilè ad se omnium animos alliceret, atq; ad perdiscendum veræ salutis semitam attraheret. Feruebat nimirum adhuc, vti assolet in exordio

nascen-

nascentium Sacrarum familiarum regularis disciplinæ vigor, & castigatissima vitæ ratio per sanctissimos Abbates Bernonem, atq; Odonem propagata, atq; a successore Adamaro, qui tunc præerat, recepta, promotaq; : voluntaria paupertas, rerum omnium abdicatio, parendi studium, & alacritas, demissio, loquendi parcitas, modestia, ardens Deo magis, magisq; placendi desiderium, innumeræq; aliæ virtutes, quibus insigniter instructi videbantur illius sanctissimi instituti Sectatores Maiolo faces addiderunt, vt idem viuendi genus amplecteretur, inque tam præclara militia daret Deo, ac Sancto Patri Benedicto nomen. Prodidit se ex signis, ac verbis, quæ sunt indices animi, hoc Maioli desiderium maiori illorum Monachorum cætui, sed venerabili in primis cuidam seniori nomine Hildebrando; de quo illud est apud Sanctum Odilonem in vita Sancti Maioli celebre humilitatis elogium: *Hic* (inquit) *bis inuitatus, vt Abbas fieret, adeò constanter recusauit, vt magis parere quàm præcipere, potiusque subesse, quam præesse voluerit.* Hic igitur à Maioli latere nunquam discedens, cum eo ità egit, vt explorata, & cognita eius voluntate, Diuini Numinis in eo indubiè cognouerit vocantis vocem. Nec mora Hildebrandi hortatu Matisco-

nem

Aimardum, S. Petrus Damiani Marchuardum, alij Adoardum; alij Aimarum, eumdem nominant. Adamarus igitur tertius Abbas Cluniacensis fuit, a Rotmundo Episcopo Heduensi consecratus, quem miræ simplicitatis, ac patientiæ virum appellat S. Odilo; nam cùm vtroq; lumine esset orbatus, abdicare se Abbatis officio coactus, æquo, ac patienti animo miserandam illam calamitatem pertulit. Constat igitur, ac luce clarius est, Adamarum hunc cæcum fuisse, vt propterea mirer Marcum Marulum libro suo de Exemplis cap. de Patientia, & Simonem Maiolum Episcopum Vulturariensem, in eo qui Dies Caniculares inscribitur libro, colloquio xx. tam fedè allucinatos esse, vt non Adamaro, sed Maiolo cæcitatem affingant; cum certissimum sit ex Odilone Maioli discipulo, & Chronico Cluniacensi, Maiolum Adamaro propter cæcitatem fuisse subrogatum, vt suo loco dicetur. His adiungendus est Alphonsus Villegas Hispanus, vir alioquin doctus, & pius; & de vitis Sanctorum optimè meritus, qui fędius quàm Marulus, & Episcopus Vulturariensis lapsus est, dum ait, lib. de fructibus exemp. & mirac. cap. de infirmitate exemp. 12. B. Maiolum Abbatem Maticensem esse factum, etiamsi cæcus esset, citatq; pro se, ad astruendam hanc fal-

sitatem, a quo ista desumpserit, Bedam in suo martyrologio, cum tamen certissimum sit ducẽtos ferè ante annos Bedã vixisse, quàm Maiolus natus esset; Beda.n. desijt esse ãno salutis *729*. vt Marianus Scotus ait, vel *731*. vt Sigebertus, vel *733*. vt Ioãnes Trithemius, vel tãdẽ vt Baronius ex longa eius vita colligit, quã vsq; ad centesimũ quintum prorogasse ait annũ *790*. Maiolus autẽ vt in confesso est apud omnes qui de eo scripserũt mortuus est anno *993*. vel ad sũmũ *994*. vt Claud. Robert. in sua Gallia Christiana asserit.

Falsum igitur est S. Maiolum, & Abbatem Maticensem, & cœcum fuisse, & Bedam de eo mentionem vllam fecisse. Atq; hæc tanquam prologomena pręmittenda esse duxi, antequam vitam, & acta S. Maioli pro magis quàm eleganti stilo conscriberem.

S. Maioli patria, Ortus, Vitæ institutio.

CAPVT III.

Matiscus, quę ciuitas inferioris Aquitanię in Gallia est, Maiolo patria fuit. Hanc S. Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis *lib. 2. miraculorum cap. 1.* ita describit, *Est Matiscus*

ficut in finibus regni Francorum, quod a Theutonicorum, seu Romanorum imperio Arar fluuius a Lotharingia sumens initium, Rhodanusq; in mare mediterraneum habens profluxū, disterminat. Quæ Matiscus a quibusdam oppidum vocata, a quibusdam vrbis nomine honorata in primatu Lugdunensi quintæ sedis obtinet locum. Hæc quantum ad ius Ecclesiasticum Lugdunensi Primati, quantum ad ius sæculare Francorum Regi subditur; ita S. Petrus Venerabilis.

Abrahā verò Hortelius in suo Theatro refert olim Castrum Antonini fuisse vocatum, nunc Macon appellari; Nec parum laudis illi tribuitur, quòd, vt habet Claudius Paradinus, in ea primùm cæpta sit appellari dies Dominica a Christianis, & quòd sub Deusdedit Pontifice Maximo, atq; Heraclio Imperatore, opera Clotarij Francorum Regis celebratum fuerit in ea Concilium cōtrà Agrestinum Pseudomonachū Luxouiensem, qui, vt refert etiam Baronius to. x. S. Columbani Abbatis sanctitati inuidens, arrogantiā inflatus eius præclaras vitæ actiones, ac laudabile institutum malignè carpere fuerat ausus. In hac igitur perantiqua, ac nobili Vrbe parentibus non tām diuitijs, quàm gloria florentibus natus est B. Maiolus; Pater eius

 Fulche-

Fulcherius nomine ex equestri ordine, præter multas quibus abundabat corporis, & animi dotes, tanta erat fortitudine, & lacertorum firmitate, vt facilè omnes ætatis suæ superaret; Illud autem inter egregia illius facinora, ac portentosæ fortitudinis argumenta, a Chronico Cluniacensi commemoratur, quòd cum ingens luporum numerus totam Aquitaniam vastaret, neq; vllum ad auertendam tantam calamitatem remedium inueniretur, Fulcherius miserabilem suorum sortem, damnaq; miseratus, consuetis indutus armis, ouina tamen pelle desuper contectis, ad caulas ouium quò frequentius lupi accedere consueuerant, nocte quadam progressus, ibi eorum rabiem, atq; impetum ita excepit, vt inter eos efferatiorem, ac mole corporis præstantiorem apprehensum pedibus, viuum ad socios, & conciues detulerit, caput necati hastæ infixum, ac per villas, & pagos deportatum, tanto reliquis lupis terrori fuerit, vt fugatis omnibus, nullum deinceps luporum incursum prouincia Aquitania sit passa.

Licet autem parentum virtus, nobilitas, diuitiæ, gloria, fortitudo, & cætera huiusmodi, quæ externa bona dicuntur, fortunæq; arbitrio nobis donantur, nō adeò æstimanda sint, vt si quis ijs careat, veris dicatur carere bonis; quia ad ve-

 ram

ram felicitatem assequendam necessaria sunt, quin potius maximo plerumq; impedimento esse soleant, laudantur tamen a scriptoribus, quia cum difficile admodum sit, in terrenarum rerum affluentia, in corporis, sensuumq; oblectamentis asperam, difficultatibusq; obsitam virtutis semitam ingredi, maiori vtiq; commendatione digni sunt, qui ea pro Christi paupertate amplectenda contemnunt, quàm qui nullis, quominus eam consectentur diuitiarum, aut externorum bonorum impedimentis retardantur,

Natus est igitur Maiolus anno a Christi natali 924. Ioanne X. Pontifice Maximo, Constantino VIII. & Berengario Imperatoribus, quo item anno apud Augustam Vindelicorum inauguratus est B. Vldericus eiusdem vrbis Episcopus, vt ex Marco Vulsero clarissimo viro adnotauit Baronius tom. x. scilicet vt alter Gallias, Germaniam alter, micantibus virtutum radijs collustraret. Sed quoniam, vt fert rerum humanarum conditio, vt læta tristibus, tristia lætis, aut succedant, aut misceantur, eodem prorsus anno contigit, vt in Italia, capta vrbe Papia ab Vnnis ductu Berengarij, qui in odium Rodulphi regis Cisalpinæ Galliæ a quo anno superiore fuerat prælio victus, barbaram illam gentem in Italiam aduocarat, duo Episcopi

Vercellensis, & Papiensis domo inclusi, a Barbaris illis fumo necarentur; Luitprandus Ticinensis, & Frodoardus illorum temporum scriptores tanta in miseram vrbem feritate debacchatos fuisse hostes referunt, vt, ea incensa, & necatis ciuibus, ducenti tantùm superfuerint, qui ad redimendam vitam, & muros vacuæ vrbis octo argenti modios obtulerint hostibus, ex reliquijs inflammatæ, ac solo æquatæ patriæ. Cæterùm clades, ac pœnè occasus nobilissimæ vrbis, compensandus magna ex parte fuit S. Maioli felicissimo ortu, ac natali, nam ex 43. Ecclesijs tunc barbarorum furore incensis, ac dirutis, duplicatus paucos post annos fuit numerus, atq; ea in primis ædificata in grati animi monimentum a pijssimis ciuibus in honorem S. Maioli, a quo innumera acceperant beneficia, quæ Cluniacensibus Monachis viuente S. Odilone B. Maioli discipulo, attributa, deficientibus Cluniacensibus Congregationi nostræ Somaschensi a S. Carolo Borromeo de Summi Pontificis Gregorij XIII. auctoritate fuit collata, redditus verò qui erant non exigui, Collegio ab se fundato, quod a suo nomine Borromæum appellauit, dono dati, vt tertio libro dicetur. Sed vnde digressi sumus, reuertamur.

Hoc igitur anno Maiolus,vt iam dixi, natus, tristia quæq; felici nominis omine commutasse visus est; Maiolus enim quasi maior lux inuerti potest, &,vt ex eodem nomine aduertit Chronicon Cluniacense, *Maiolus* (inquit) *vt iucundo lætemur interprete, quasi magnus videtur dici oculus, conuenienti etenim futurarum rerum presagio tali nomine donatur illa veritatis, & iustitiæ columna*; Non esse autem inanes propriorum nominum voces, & vocabula, sed plerumq; diuinitùs indita verissimas in se continere, ac præsagire rerum significationes, & misteria, tum apud sacros, tum apud profanos scriptores reperio. Quin imò iucundum prorsus fuerit perpendere animo immensam Dei O. M. benignitatem, ac prouidentiam, qui quos ad religiones fundandas, vel ad populos in vera fide stabiliendos, vel eos ad præclara quæq; ac naturæ vires excedentia præstanda elegit, nouo aliquo, insigniq; natalium ostento a communi reliquorum hominum nascendi lege, ad eorum sanctitatem indicandam, discriminare consueuit; eo nimirum consilio, vt quantum olim ipsa nascendi conditio portendat, futurusq; sit eorumdem, & meritorum cumulus, & virtutum amplitudo ex natali augurari liceat. Exempla, quæ propè innumera occurrunt libens prætereo, ne

tempus in re notissima teram. Maiolum ergò parentes tanquam sibi cęlesti dono à Deo datũ, ita educandum statuerunt, tanquam si ex eo magnum aliquid ad plurimorum salutem prouenturum pro certò autumarent.

In primis igitur, vt eum lacte pietatem imbiberet, non quamlibet, sed quæ castis, ac probatis moribus esset, ei nutricem adhibuerunt. Nequis autem hoc, aut negligendum omninò, aut paruipendendum existimet, Plato ipse, qui perfectissimi hominis idæam efformandam sibi assumpserat, ab infantia, & ab ipsis incunabulis exordiri non incongruum existimauit, docuitq; dialogo VII. de legibus quantum in eo sit momenti, vt matres, ac nutrices, neq; bibaces, aut vitio aliquo fœdatæ sint, quòd tenerrima illa ætas occulto quodam sensuum oblectamento corrumpitur, difficillimèq; curatur. Quarè optimè Samsonis matrem (vt docent sacræ litteræ) monuit Angelus, ne vinum, siceram, aut immundum quid, quo sanctitas filij impediretur, gustaret, quasi matrem prius opus esset, quàm filium, Nazaræam, sanctamq; fieri. *Caue* (inquit Angelus) *ne vinum bibas, nec siceram, neq; aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazaræus ab infantia sua.*

Infantiam igitur sic transegit Maiolus, vt

verè

verè de illo dici poſſet, quod de preſtantiſſima Virgine; ac Martyre Agnete ab Eccleſia dictum eſt, *Infantia quidem computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis immenſa*. Cum enim tenera illa ætas, quæ nondum perfectum rationis vſum habet, naturæ quadam propenſione leuitatibus, ac nugis apprimè delectetur, Maiolus è contrà, nihil in infantia, præter infantiæ annos habens, ita proprios illius ætatis mores moderabatur, vt in inceſſu grauitatem, in riſu moderationem, in oculis modeſtiam, in verbis prudentiam, in omni deniq; actione maturitatem conſilij præ ſe ferret. Nec quiſquam erat adeò vecors, aut conſilij inops, quin illi (ſuppeteret modò vita,) magnum aliquod honorum, ac dignitatum culmen in Dei Eccleſia ominaretur. Fouebant hanc præclaram Maioli indolem parentes eius, qui, ne quid illi ad verum decus in confirmata ætate comparandum deeſſet, impedimenta omnia auferre ſtudebant, quare & pietatem in primis colere, & æqualium tantùm, nobiliumq; puerorum conſuetudine delectari illum volebant, adeò vt, ex tam preclaris vitæ initijs, reliquum ætatis ſpatium, quàm præclarè ad omnem virtutis laudem traducendum eſſet, non difficulter quiuis coniectare poſſet.

Maiol

Maioli pueritia, atq; adolescentia.

CAPVT IV.

EXactis laudabiliter infantiæ annis, pueritiamq; ingressus, vt litterarum studia cum vitæ integritate coniungeret Maiolus bono, ac docto Preceptori traditus est à parentibus. *Non enim minus interest*, vt ait Cicero, In orat. pro Archia poeta, *quos asciscas Præceptores quam quo, nactus sis parentes, siquidem liberi vt maiorum ingenia, a quibus geniti sunt referunt, ita Magistrorum à quibus instituti sunt, aut virtutes, aut vitia penitus hauriunt.* Alexandri Macedonis exemplo veritatem hanc comprobatam fatebitur, qui illum virtutibus alioquin ornatissimum Principem, nonnullis tamen quibus Leonides eius educator notabatur vitijs nõ caruisse, apud probatos auctores reperit.

Quam ob rem Theodosium optimum, ac religiosissimum Imperatorem impensè laudat Baronius tom. 9., qui vt filios suos Arcadium, atq; Honorium optimæ spei adolescentes non tam Imperij, quàm virtutum faceret hæredes, Arsenium Romanæ Ecclesiæ Diaconum vitæ

inte-

integritate, doctrinaq; præstantem inter primarios Anachoretas titulo sanctitatis deinde connumeratum à Damaso Papa impetrauit a quo erudirentur, cui cum eos traderet, *Post hac*, (inquit) *O Arseni, tu magis pater horum, quàm ego sies; tunc enim filios meos dignos imperio iudicauero, si cum litteris veram fuerint pietatem assecuti*.

Et verò tanti semper fecerunt sapientes viri bonam puerorum educationem, vt ex ea omnē vitæ humanæ fœlicitatem pēdere arbitrati sint, experientia quippè compertum est, non solùm eos, qui bonam, sed & qui prauam naturam sortiti sunt, rectæ institutionis beneficio ad optimam frugem perduci posse. Quid? quod Sapientia ipsa initio Prouerbiorum Salomonis inducitur benè multis, & verissimis rationibus adolescentes ad virtutem, & optimarum scientiarum adeptionem inflammans? Cuius quidem verba licet omnia mysterijs sint refertissima, illud tamen quod ad rem nostram facit, est perpendendum, quòd sub allegoria sementis, ac messis, vtilitatem bonæ educationis toti deinceps vitæ spatio profuturæ clarissimè insinuans ait. *Comedent ergò fructus viæ suæ*. *Prouerb*. 1. 31. quod quidē clarius explicat D. Paulus his verbis, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*. *Gal*. 6. 8.

Patet

Patet hic vitam hominis anno comparari; pari enim modo videntur ortum habere, adolescere, senescere, ac interire; sicut verò senescente autumno, quæ est vtilior pars anni, colliguntur fructus, quorum semina, prius humo benè subacta, terræ fuerant agricolarum manibus nec sine labore concredita; idem etiam adolescentibus euenire solet, qui vitæ suæ fructus cum ad senectutem peruenerint, non sine maximo fœnore collectos, in proprios vsus depromunt, sic, vt verissimè fatendum sit, fructibus adolescentiæ alendam esse senectutem, ne quis eiusdem Sapientiæ obiurgationi subiaceat, quæ socordiam, ignauiãq; adolescentium nonnullorum sugillans, ait; *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodò in senectute tua inuenies? Eccl. 25. 9.*

Hoc autem adeò verum est, vt natura ipsa dictante, etiam ipsi Gentiles nullo fidei lumine collustrati cognouerint, nam Plutarchus librum de Educandis liberis composuit, in quo prætérquam quòd multa quæ in hoc argumenti genere dici possunt, præclarè collegit, etiam id, quod a Sapientia dictum est, non ignorasse videtur, cũ ait, filiorum educationem agricolationi esse similem, naturamq; absq; disciplina esse cœcam, disciplinam verò quæ natura destituitur, imperfectam esse, ac mancam. Tria porrò necessariò

requi-

requiri ad optimum agrorum cultum docet idē Plutarchus, Bonum solum, Peritum Colonum, & semina frugi. Natura solo, agricolæ Magister, semini præcepta, respondent; Ac quemadmodū (ait idē Plutarchus) cultura cessante, telluris solum quamuis bonum, sterilescat oportet; quantoq; melius fuit natura, tanto deterius fit neglectu, idem etiam in hominis educatione fatendū est contingere, nam, quæ arbores non tortuosæ fiunt, atq; infrugiferæ, si per incuriam habeantur? Quæ non frugiferæ, si probe curentur? Qui equi a prima ætate domiti, non parent sessoribus? Qui mature non subacti, feroces ac peruicaces non euadunt? Mansuetum animal appellat Plato, hominem, si cum natura felici, etiam quoq; disciplinam fuerit nactus; si secus, ferocissimum omnium quæ in terris nascuntur. Quare nil mirum, si in bene constitutis Rebus publicis, vt fuere Romana, & Spartana, nihil religiosius obseruatum, quam vt pueri, quorum aliquando curæ, ac regimini in confirmata ætate patriæ gubernatio committenda erat, probe, ac sancte instituerentur; *Alte enim*, vt aduertit S. Hieronymus, *infiguntur animis, quæ pueri didicerint, & nisi difficulter eraditur quod rudes anni perbiberint*. Quare in eo totus est S. Doctor Epist. 5. l. 2. vt Lœtam primariam inter Roma-

nas

nas fœminam diligenter moneat qua ratione, & præceptis filiam instituat, quorum illud præcipuum est, *vt nihil aliud discas audire, & loqui nisi quod ad Dei timorem pertinet, turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur.* Nec immeritò S. Io: Chrysostomus hom. 1 *de Anna & Sam.* Annam Samuelis Matrem summis effert laudibus, quod vix ablactatum filium ad templum deduxerit, ac Deo statim dicarit, ne scilicet externa infici malitia, sed cœlesti potius doctrina repleri posset. Atq; hæc paulò diligētius, a c pluribus a me commemorata sunt, vt & quàm præclarè suo muneri parentes Maioli in eo educando satis fecerint, & quam accuratè Maiolus ipse parentum votis piæq; voluntati responderit, appareat.

Sed quoniam Dei potius spiritu quàm parentum studio, & cohortationibus agebatur Maioli animus, operæ pretium erit aduertere quo pacto se in tam lubrico ætatis flexu præstiterit Maiolus, atq; ea gesserit, quæ naturæ, atq; ætatis supergressa conditionem aliquid in eo suprà omne mortalitatis fastigium inesse facilè coniectari posset. Quod dum mente recolo, subit mihi, quod de Dauide adhuc adolescentulo, vixq; pubertatis annos ingressο expendit S. Augustinus,

quem

quem cum inaudita animi magnitudine, ac virili potius quàm puerili ferocitate Saul Israelitici populi Rex deposcentem sibi vt daretur potestas cum Philisthæo illo gigante quo cum nemo ex regis exercitu singulari certamine congredi audebat pugnandi, quoq; facilius regis animum adhoc impetrandum deflecteret, proprias extolleret vires, reportatasq; de Leonibus, & Vrsis victorias, a quorum rabie paternas oues sæpius uindicarat. *Intellexit Rex* (inquit S. Augustinus) *cum videret audentem puerum aliquid in eo diuinitatis inesse, nec illum tenera ætate sine diuino instinctu talia posse præsumere.* Accomodatissimè hoc de Maiolo dici posse existimo, dum illum Dauidis instar non Leones, & Vrsos, sed se ipsum, hoc est rebelles impetus rationi comprimentem considero; qui profectò eo difficilius uincuntur, ac perdomatur quòd nobiscum geniti sunt, atq; excreuerunt.

Atqui ego dum Maioli pueritiam, atq; adolescentiam laudo, nolim quisquam existimet Oratorem me potius quàm Historicum agere, nam si D. Cypriano teste, *Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum,* certè cum eam Maiolus toto uitæ suæ tempore ne leui quidem suspicionis afflatam umbra seruauerit, omnium

etiam

nem Maiolus reuertitur, Archidiaconi dignitatem abdicat; quòd reliquum erat facultatum, ac rei familiaris in pauperes, atq; egenos erogat; ac non ita multos post dies Cluniacum reuertitur.

Hoc Maioli in Sacram familiam abeuntis consilium, vti Cluniacensibus cunctis lætitiam, ita Matisconensibus vniuersis, Episcopoq; inprimis incredibilem mærorem, ac molestiam attulit. Priuari enim præstantissimo Ciue ægrè admodùm ferebant, à quo innumera tùm corporis, tùm animi emolumenta se accepturos crediderant. Et quia Maioli in deliberando prudentiam, & in proposito permanendi constantiam, firmitatemq; animi nouerant, qui non leuiter, aut inconsultò rem adeò grauem, tantiq; ad existimationem momenti fuisset aggressus; illum ab incæpto retrahi, & à suscepto consilio remoueri haud quaquam posse, iudicabant. Maiolus interim ab Hildebrando ad Adamarum Abbatem adductus, humiq; ad genua illius prouolutus, vti se in Religiosorum suorum numerum adscriberet, infimis precibus rogauit, manantibus intereà ab omnibus qui aderant præ gaudio lacrymis. Adamarus, vti erat miti admodùm ingenio, ac placidissimis moribus, humanissimè hominem amplexatus, atq; assurgere

iussum, hortatur seriò, constanterq; velit in ista tam pia voluntate persistere, & nullis se patiatur ab incœpto suasionibus, prauisq; consilijs dimoueri. Tum versus ad Hildebrandum *Hunc (inquit) multarum virtutum virum, vt sub tuo ductu sacrum Religionis tyrocinium peragat, tuæ fidei committo: futurum enim olim est, vt maxima ex eo Congregatio vestra sumat incremẽta probitatis, ac Monasticæ disciplinæ.*

Falsa non præsagisse, nec spe sua fuisse deceptum Adamarum, euentus ipse docuit, statim igitur spreto (vt ait S. Odilo) mundanæ nobilitatis fastu, & supercilio, exutusq; sæcularibus vestimentis, detonso capite, atq; efformata de more corona, sacrum S. Patris Benedicti habitum, cuius vestigia iam tum sequi decreuerat, Maiolus induitur. Mutari illicò visus est in virum alterum, & maiori, quam anteà diuini amoris æstu inflammari. Versare cœpit animo, quod ad Rusticum Monachum scribit S. Hieronymus lib. 2. Ep. 13. sibiq; dictum existimauit, *Tu (inquit) si Monachus esse vis, non videri, habeto curam non rei familiaris, cui renunciando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ.* Hoc identidem cogitando, dum se primo noctis silentio post consuetas preces, atq; conscientiæ discussionem, vt moris est, requieti dedisset, ad-

ſtare ſibi vidit cęleſti luce perfuſum, humanaq; ſpecie auguſtiorem Angelum, qui S. Patris Benedicti regulam manu præferens, hanc illi, vt eam adamuſſim ſeruaret, porrexit. Cępit illam Maiolus libentiſſimo animo, & pro tam excellenti in ſe collato munere, gratijs Deo, tutelariq; ſuo Angelo actis, adeò poſtea, vt Chronicon Cluniacenſe habet, adamauit, amplexatuſq; eſt, vt ab illius præſcripto ne latum quidem vnguem diſceſſerit.

Silentium in primis, ac ſolitudinem colendã ſibi ſtatuit, idq; religioſè adeò, vt non minus ſolus, quàm cum ſolus, neq; minus tacens, quàm cum taceret, ſibi videretur. Aſellam procul dubiò nobiliſſimam fœminam S. Hieronymi teſtimonio vitæ integritate, ac virtutum laude percelebrem æmulatus, quæ habebat, vt idem ait, Silentium loquens, quaſi dũ nil loqueretur, plus de propria ſanctitate diceret, quàm poſſet loquendo explicare. Silentium namq; inter primordia, ac veluti præambula ad ſalutem eſſe connumerandum ex Arſenio præſtantiſſimo Anachoreta didicerat, cui cum in aula Theodoſij Imperatoris, compendiariam ad ſalutem ſemitam exploraret, de Cœlo facta vox eſt huiuſmodi, *Fuge, tace, quieſce, hæc ſunt enim principia ſalutis*, vt tradunt Ephrem, atque

Euagrius. Nec immeritò, matrem omnium virtutum, atq; humilitatis fontem, silentium appellat B. Antiochus, cum ex Iacobi Apostoli testimonio, auctoritateq; edoctus, sciret vix, ac nec vix quidem, religiosi nomen mereri, qui silentio non delectetur, dum ait, *Si quis autem putat se Religiosum esse non refrænans linguã suã, sed seducens cor suũ, huius vana est religio.* Tanti autem in Cluniacẽsi Monasterio, Maioli præsertim exemplo, silentium æstimatũ est, ut procedente mox tempore, cum inter Cluniacenses, ac Cistercienses, qui licet diuersi habitu eandem tamen viuendi normam à Sancto Patre Benedicto traditam, seruant lis orta esset, a quibus nam eorum religiosiùs custodiretur silentium, causa fuerit Cluniacensibus adiudicata. Cum enim S. Bernardus Cisterciensis Abbas vitio verteret Cluniacensibus, quòd iuniores ex præscripto regulæ à S. Patre Benedicto traditæ, non peterent benedici à senioribus locuturi, Petrus Venerabilis sextus à S. Maiolo Abbas Cluniacensis epist. 28. ad Sanctum Bernardum, acutè, sapienterq; respondens, *In locis,* (inquit) *silentio destinatis, peti ipsa corporis inclinatione, vt silentium seruetur.* Quibus quidem verbis strictiùs, ac religiosiùs à Cluniacensibus, quã à Cisterciensibus, silentium seruari, demonstrat.

Cui rei exemplo etiam esse potest Gothefridus Monachus Cluniacensis, qui (vt refert Ioannes S. Pauli Romæ Abbas in vita S. Odonis à se conscripta) dum nocte quadam in eodem Monasterij videret furem, equum Monasterij clàm abducentem, quem inclamando impedire poterat, liberum abire permisit, ne scilicet nocturni silentij fractor, violatorq; esset. At, nè quis proptereà alterum alteri ex his ordinibus in regulari, ac monastica obseruantia præferret, Petrus Blessensis, qui antè quingentos annos doctrina, & pietate claruit, seriò vetasse visus est, dum ait, *Sanctus est ordo Cluniacensis, & Sanctus est ordo Cistercienlis, & in vtroq; posuit Deus mysterium reconciliationis, & negotium salutis.*

Maiolus Romam ab Adamaro Abbate mittitur, socium in itinere ab ægritudine sanat, reuersus Cluniacum benignè ab omnibus excipitur.

CAPVT VIII.

QVid caussæ fuerit, cur ab Adamaro Abbate Maiolus fuerit Romam allegatus, non tam ex Chronico Cluniacensi, quod in

Monasterij commoda eam causam transfert, quam ex Baronio conijcere licet. Nam, cum pauces ante annos Sanctus Odo II. Abbas Cluniacensis à duobus summis Pontificibus Leone VII. & Stephano IX. fuisset Romam accersitus, vt pacem inter Principes Italiæ componeret, qua rerum agendarum peritia, dexteritateque Odo pollebat, Sedemque Apostolicam ab Alberici patritij potentissimi Ciuis Romani tirannico dominatu liberaret, re benè, ac fęliciter confecta, monasterium S. Pauli pro Cluniacensi Congregatione ab ijsdem Pontificibus impetrauit. Huic Abbatem præfecerat Ioannem illum, qui totius peregrinationis suæ Comes vitam, & res ab eo gestas diligentissimè perscripsit. Defuncto autem (vt credi potest, hoc Ioanne.) Marinus II. Summus Pontifex Stephani, ac Leonis successor monasterium S. Pauli Cluniacensibus ereptum, Cassinatibus Monachis attribuit, gubernandumque Leoni Abbati Ostiensi, cui plurimum deferebat, dedit. Adamarus ergò, qui, vt Claudius Robertus in sua Gallia Christiana ait, & iura sua tueri, & Cluniacensem iurisdictionem amplificare nitebatur, neminem Maiolo potiorem habuit, quem ad tanta negotia pertractanda Romam mitteret. Illuc igitur Maiolus profectus,

& feliciter munere suæ legationis expleto, cum relictis vbique prudentiæ, & sanctitatis argumentis in Galliam reuerteretur, in ipso medio itinere Eporediæ subsistere fuit coactus.

Est Eporedia quam alij Hiporediam, vulgò Inuream appellant, Salassiorum Oppidum in Italia, quam Plinius in 17. regione ponit, Romanorum olim Colonia, ab ijsdem ex oraculis Sybillinis inter montium angustias, qui Vallis Augustæ Prætoriæ fauces efficiunt, condita; vt Leander Albertus ait: Hic igitur Holdericus, qui ab Adamaro Abbate Maiolo fuerat datus comes grauissima statim febre corripitur, tam incerta salutis spe, vt de eo accersiti Medici, côclamarent, adhibitaq; remedia nihil omninò prodessent. Molestissimum hoc Maiolo accidit, qui priuari se vnico, atque amicissimo socio, consiliorumque suorum conscio, atq; adiutore ægerrimè patiebatur. Quare, in summa humanæ opis desperatione, Diuinum Numen à quo bona cuncta dimanant, adeundum sibi esse statuit. Dum ergo tertia ab Holderici ægritudine die quieti se tantisper dedisset Maiolus, vidit per somnium pulcherrima senis specie Apostolorum Principem, cui Ecclesia Cluniacensis nuncupata est, qui sic illum est affatus. *An ignoras, Maiole, quid frater meus iacobus de infir-*

mis curandis monendo dicat? Infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiæ, & orẽt super eum, & oratio fidei saluabit infirmũ &c. Quo dicto, discedens, Maiolum spe plenum, lætitiaque, ac de socij incolumitate securum reliquit. Ad Holdericum igitur accurrens, quidq; per quietem audisset, aperiens, monuit, vt conuocatis omnibus, qui in hospitio illo erant socijs, orationi se darent. Res mira; vix semihoræ spatio preces protraxerant, cum ecce, Holdericum bono animo esse iubens Maiolus, frontiq; illius sacrum Crucis signum insigens, vt morbus abscederet, imperauit, factumq; illicò est, vt pristina recuperata valetudine, gratias Deo agerent, sequentiq; die itineri se se hilares darent.

Hoc Maioli facto, satis admonemur in nostris, amicorumq; ægritudinibus, non ad humana solùm, sed in primis ad Diuina remedia confugiendum; cum enim ex Sapientis sententia, *Non sit census super censum salutis corporis*; bonaq; valetudo sit thesaurus reliquis omnibus externis bonis, quæ in hac vita haberi possunt, longè præferendus, a Deo ipso omnium bonorum largitore homini datus, si quis illo aliquando, iusto Dei iudicio priuetur, non statim demittendus est animus, ac desperandum, seu, quod grauissimum scelus est, damnatis artibus, ac su-

perstitiosis medicamentis quærenda salus, quod Ochoziam fecisse sacer textus deplorat, qui propterea repræhensus ab Elia Propheta ibi mortem inuenit, vbi vitam se reperire crediderat, sed potius Ezechiæ sanctissimi Regis exemplo suppliciter est ad Deum pro incolumitate obtinenda, confugiendum, qua obtenta, & gratiæ Deo agendæ, & danda opera est, ne vnquam illius ab animo memoria excidat. Maiolus igitur Cluniacum prospere cum socijs reuersus, omnibus beneuolentiæ signis ab Adamaro, vniuersaq; Monachorum Congregatione fuit exceptus; Qui, quæ acta erant Romæ, & in itinere ordine exponens, omnes in sui admirationem attraxit; iterumq; pro Holderico sanitati restituto gratiæ Deo actæ, iterumq; eius clementia, & bonitas collaudata ab omnibus est.

At dum Maiolus totum se ad S. Patris Benedicti normam effingit, vt ad perfectionis metam, culmenq; euadat, res mira, inopinaq; accidit, qua ab humili subiectionis statu, quem ipse amabat, ad amplissimum prælationis gradum, a quo maximo abhorrebat, fuit euectus, vt mox dicemus.

Adamaro

Adamaro Abbati Cluniacensi exoculato Maiolus inuitus sufficitur.

CAPVT IX.

SEX tantùm præterierant anni, ex quo Maiolus Cluniacensi familiæ nomen dederat, vixque tricesimum ætatis excesserat, cùm, siuè prægrauatus senectute, seu morbo aliquo, diuina certè prouidentia, quasi alter Tobias Adamarus Abbas Cluniacensis post decem in suo regimine totos annos, oculorum lumen amisit, vir candoris animi, innocentiæq; cultor eximius, vt ait Robertus in sua Gallia Christiana, de quo illud dici potest, quòd nobilis olim Poeta de Pythagora cecinit.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Qui licet forti, constantiq; animo miserandam illam calamitatem toleraret, quia tamen animaduertebat se Abbatis muneri parem esse non posse, de successore sibi deligendo, cum Monasterij senioribus seriò agere cœpit; Cœlestis igitur Numinis auxilio implorato, reg; ad suffragia deducta,

deducta, omnes in eam facilè iere sententiam, vt Maiolum, quo neminem sanctius, aut honorificẽtius dignitatem illam administrare posse iudicabant, Abbatem constituerent. Eum igitur in locum Comitiorum, vt moris est, accitum, sic affatus est Adamarus.

Quàm me senectus, & cæcitas, duo per se mala grauia quib⁹ abdicare me Abbatis munere cogor afficiant, Maiole (vt puto) vides; quàm verò ardentia, vnaq; sint omnium nostrum te Abbatẽ deposcentium vota, non te in præsentiarum fugit; Hoc tui mores, animiq; probitas, ac, qua polles prudentia postulant. Diuina te ad hunc gradum prouidentia, vocat. Age ergò, sublimem hanc sedem conscendito, & qui me adhuc vt filius Patrem coluisti, posthac vt filium, pater habe. Talia locutum, assurgentemq;, vt cum reliquis in ordine assideret, interpellans Maiolus, *Me nè ergò*, inquit, *vix tyrocinium religionis egressum, & necdum virilitatis annos attingentem, Abbatem constitui? Siccinè sacros in patria honores effugi, vt periculosiores in sacris ædibus admitterem? O malè auspicata suffragia si tot posthabitis, qui adsunt religiosissimis patribus, me, qui neq; ætate, aut meritis cum ijs sum conferendus Abbatem fieri patiar.* Hæc, cum sincero animo lacrymabun-

dus

Adamaro Abbati Cluniacensi exoculato Maiolus inuitus sufficitur.

CAPVT IX.

SEX tantùm prælerierant anni, ex quo Maiolus Cluniacensi familiæ nomen dederat, vixque tricesimum ætatis excesserat, cùm, siuè prægrauatus senectute, seu morbo aliquo, diuina certè prouidentia, quasi alter Tobias Adamarus Abbas Cluniacensis post decem in suo regimine totos annos, oculorum lumen amisit, vir candoris animi, innocentiæq; cultor eximius, vt ait Robertus in sua Gallia Christiana, de quo illud dici potest, quod nobilis olim Poeta de Pythagora cecinit.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Qui licet forti, constantiq; animo miserandam illam calamitatem toleraret, quia tamen animaduertebat se Abbatis muneri parem esse non posse, de successore sibi deligendo, cum Monasterij senioribus seriò agere cępit; Cęlestis igitur Numinis auxilio implorato, reę; ad suffragia

deducta,

deducta, omnes in eam facilè iere sententiam, vt Maiolum, quo neminem sanctius, aut honorificentius, dignitatem illam administrare posse iudicabant, Abbatem constituerent. Eum igitur in locum Comitiorum, vt moris est, accitum, sic affatus est Adamarus.

Quàm me senectus, & cæcitas, duo per se mala grauia quib⁹ abdicare me Abbatis munere cogor afficiant, Maiole (vt puto) vides; quàm verò ardentia, vnaq; sint omnium nostrum te Abbatē deposcentium vota, non te in præsentiarum fugit; Hoc tui mores, animiq; probitas, ac, qua polles prudentia postulant. Diuina te ad hunc gradum prouidentia, vocat. Age ergò, sublimem hanc sedem conscendito, & qui me adhuc vt filius Patrem coluisti, posthac vt filium, pater habe. Talia locutum, assurgentemq;, vt cum reliquis in ordine assideret, interpellans Maiolus, *Me nè ergò*, inquit, *vix tyrocinium religionis egressum, & necdum virilitatis annos attingentem, Abbatem constitui? Siccine sacros in patria honores effugi, vt periculosiores in sacris ædibus admitterem? O malè auspicata suffragia si tot posthabitis, qui adsunt religiosissimis patribus, me, qui neq; ætate, aut meritis cum ijs sum conferendus Abbatem fieri patiar.* Hæc, cum sincero animo lacrymabun-

dus

dus proferret, multòq; plura pro se dicere pararet, circumuenitur ab omnibus, ac pro suo quisque studio obtestantur, velit eorum morem gerere voluntati; Diuinam sic instituisse prouidentiam, cui reluctari, atq; obniti, fas est nemini.

Maiolus in tanta oppugnantium multitudine, ardoreq;, nihil de animi firmitate remittere, de animi sententia precibus non dimoueri, atq; illud mordicus retinere, quocunq; honore, ac humana dignitate procul habitis firmissimo humilitatis gradu consistere. Versæ hinc in terrorem preces, vt quò longiùs Maiolus à dignitatum fastigio fugeret, eò constantiùs Maiolum subsequi dignitates viderentur; Adamarus enim ampla voce, atq; elato corporis gestu, minitabundo similis, charitatisq; velut æstro percitus, conuersus ad Maiolum, *Quando*, inquit, *neque meis precibus, neque tot adstantium parentum flecteris, tibi Maiole, sub anathematis pœna, Dei nomine præcipio, vt sedem hanc conscendas Abbas deinceps futurus.* Horruit ad hanc vocem Maiolus perinde, ac fulmine aliquo tactus, deq; obfirmata voluntate decedens, in sublimem Abbatis sedem, vel inuitus se intulit. Hanc tanti honoris despicientiam, vti dignam, quæ perpetuis signetur monimentis, S.

Odilo

Odilo sic recenset; *Electus igitur, accitur, instatus, vt assentiat resistit, rogatus, contradicit, adiuratus, contremiscit, tandemq; interdicto adactus, acquiescit.*

Nimirùm magna res est Prælatio, & quæ multùm habet difficultatis, & periculi; Nam, vt ait Nazianzenus Orat. 21. *Difficile est scire parere: sed multò difficilius scire imperare, præsertim in Imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit. Decet enim*, vt D. Gregorius; 1. p. Past. cap. 9. ait: *Dominicum pastorem, & Sacerdotem moribus, & vita ità clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs sibi commissa, & eligere quod sequatur, & videre possit quod corrigat.* Nam profectò, vt rectè aduertit Nazianzenus loco citato, *Ars quædam artium, & scientia scientiarum esse videtur hominem regere, animal omnium maximè varium, ac multiplex.* Quid igitur mirum, tot Maiolum obiectis difficultatibus se se tutatum, quominus Abbas fieret, vt ad eam capessendam dignitatem fuerit sub anathematis pœna cogendus? Eo itaq; sic electo, admissisq; omnibus, vt moris religiosorum est, ad pacis osculum, extemporaneam Maiolus habuit parænesim; breuem illam quidem, sed quæ intima cordium peruaderet, ex Sanctorum Patrum

trum oraculis, ſacræq; paginæ fontibus hauſtam. Hortatus eſt illa omnes ad exactam S. Patris Benedicti normam, legeſque, & vt quæ iam ab Odone prædeceſſore ſuo ſanctiſſimo viro monaſticæ diſciplinæ præcepta didicerant, ſub Adamaro eius ſucceſſore ſarta, tectaq; ſedulò retinerent, daturum ſe operam ne illos pœniteret, quòd ſe præ alijs, dignitate illa decoraſſent: vnum hoc ſe ab illis petere, vti Deum, cuius nutu ipſe eſſet Abbas, & cuius apertè voluntatem in Patrum decreto cerneret, communibus ſimul precibus adirent, vires tanto oneri pares ſuggereret, vt in maximam diuini nominis gloriam, atque animarum lucra ea demum ſuffragia benè verterent. Demiſſa Concione, fama, quæ Matiſconenſem, finitimaſq; Ciuitates de eiuſmodi electione peruaſerat, cunctos qui Maiolum nouerant, non vulgari voluptate perfudit, nemoq; fermè erat, qui Cluniacenſis Congregationis fauſtitati id non adſcriberet, magnaq; eius incrementa non ominaretur.

Annus erat à Chriſti Natali 954. præeratq; Romanæ Sedi Agapitus ſecundus, cùm vt firmior, ac ſanctior eſſet Maioli electio ab Holdebodo Cabilonenſi Epiſcopo ſacro Syrmate, atque infula decoratus, Abbas Cluniacenſis conſecratus eſt. Hoc eodem anno Ludouico

Fran-

Francorum Rege desiderato, filius eius Lotharius adhuc puer, vt Frodoardus illius temporis scriptor ait, apud Sanctum Remigium, ab Artholdo Rhemensi Archiepiscopo Rex consecratur. Sub hoc Rege, qui Maioli Sanctitatem venerari, prudentiamque admirari erat solitus, maximas Cluniacensis ordo in Monastico rigore vindicando ex præscripto regulæ S. Patris Benedicti, progressiones fecit. Maius enim Monasterium iuxta vrbem Turonicam positũ ab Vnnis iam euersum, Maiolus, & murorum structura, & Monachorum numero suo splendori restituit, vt auctor gestorum Abbatum eiusdem Maioris Monasterij in suo Chronico asserit. Eodem quoquè tempore Sacræ Apostolorum Petri, & Pauli Reliquiæ a Summis Pontificibus in Monasterio S. Pauli Romæ sub Odone Sanctissimo Abbate illic degente, repositę, per Cluniacenses Monachos, Cluniacum ad Maiolum Abbatem delatæ, sub maiori ara Ecclesię, in columna porphyretica honorificè fuerunt reconditæ, atque ipsa Ecclesia in honorem eorumdem Apostolorum ab Vgone Pictauiensi Archiepiscopo fuit consecrata. Quod tum ex Chronico Cluniacensi, tùm ex Epistola Vgonis Monachi ad Pontium Septimum Abbatem Cluniacensem, patet.

Quam

Quàm rectam gubernandi rationem instituerit Maiolus electus Abbas, & mirum eiusdem humilitatis, ac obedientiæ exemplum.

CAPVT X.

NIhil difficilius experiri eos, qui in sacris religiosorum ædibus præsunt, quàm suauitatem cum imperandi seueritate ita miscere, vt neque seueritas asperum, neque suauitas remissum superiorem ostendat, fatentur omnes, qui de regularis obseruantiæ profectu, aut prolapsu libros ediderunt. Vsu enim plerumq; accidere videmus, vt omnem licet adhibeat curam superior, ne quidquam eorum, quæ ad rite munus suum obeundum requiruntur, prætermittat, ita tamen (quæ est humanæ naturæ fragilitas, perpetuaq; se se insinuantis Dæmonis oppugnatio) spe omni sua frustretur, vt pro quiete discordias, ac pro tranquillitate rixas, inter sibi subiectos oriri conspiciat. Id, ne in creditam sibi Cluniacensium familiam irreperet mali, diligentissimè

cauit Maiolus, qui opem ſibi à Deo bonorum omnium largitore ad negotium hoc pro dignitate peragendum, implorandam eſſe ſtatuit. Hanc enim optimam eſſe rationem adminiſtrationis ineundæ, & Sanctorum exemplis, & Diuino Numine docente, didicerat.

Primò igitur ſe tanquam exemplar ad cuius imitationem actiones omnes ſuas Cluniacenſis familia conformaret, omnibus propoſuit; Sic enim Nazianzeni patrem (vt ipſe de eodem teſtatur) feciſſe legerat. Qui ſe velut ſpiritualem quandam ſtatuam ad optimæ cuiuſq; actionis pulchritudinem expolitam ad imitandum effinxerat, & ex Lactantio, lib. 4. de vera Sap. c. 23. *Homines malle exempla quàm verba, quia loqui facilè eſt, præſtare difficile, abeſſeq; ab ijs fidem, qui præcipiunt, nec faciunt.* Operæ autem pretium fuerit aduertere qua nam potiſſimum ratione gubernandi vſus ſit Maiolus, ex qua temperamentum quoddam efformarit, procul à nimia tum aſperitate, tum lenitate, quod in Sacerdote, atq; animarum curatore neceſſariò requiri per oleum, ac ſanguinem ex altari deſumptum, quo ex præcepto Domini aſpergi Aaron Moyſis manibus iubebatur (vt docent ſacræ litteræ) deſignatur. *Officiunt enim*, vt vt aduertit Philo Hebræus, *nimis æquanimes*

Principatus; necessariòq; aliquis rigor admiscendus mansuetudini est. Et verò tam qui imperant, quàm qui parent multas subinde afferunt difficultates, quæ duram nimis, atque asperam, nedum insuauem reddant, cùm imperandi, tùm parendi prouinciam, multas item quæ debilem, ac remissam. Has omnes vt vitaret Maiolus, duas sibi in primis necessariò amplectendas esse virtutes existimauit, humilitatem, ac fortitudinem: Humilitatem quidem ex Spiritus Sancti præscripto, dum sibi illud dictum arbitratus est, *Rectorem te posuerunt? noli extolli, sed esto in illis tanquā vnus ex ipsis.* Fortitudinem verò dum legit: *Noli quærere fieri Iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* His quasi armis instructus, charitateque (quod vinculum perfectionis appellat D. Paulus) non leuiter firmatus, & vitia euellere, & virtutes inserere, insertasque conseruare non illi difficile fuit. Nemo vnquam Maiolo acrius est vitia insectatus, nemo amantius amplexatus virtutes. Si quem minus ex S. Patris Benedicti præscripto viuere animaduertisset, non statim in eum summo iure agendum, sed captata opportunitate in rectam viuendi ratonē, cohortationibus, quæ si minus proficeret, obiurgationibus deducendum, aut tandem pœna aliqua

com-

compellendum, existimabat. Neque enim suauitatem regiminis in eo sitam Maiolus censebat, vt quasi Heli summus quondam Hebræorum Sacerdos, ac Princeps satis suo fecisse muneri arbitraretur, si diceret, *Non est bonū quod audio &c.* 1. *Reg.* 2. Sed efficaciter erratis occurrendum, eaque extirpanda radicitus, puniendaque, cum opus esset, existimabat, memor aureæ illius D. Gregorij sententiæ, lib. 10. mor. c. 4. *Cum mala corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescas.* Id autem omne maiore, vt cum charitatis augmento præstaret, se ipsum accuratè discutiebat, & an talis esset, quales efficere nitebatur subditos, inquirebat: quod omninò præstandum, ne optato careat fine correctio suadet S. Gregorius illis verbis, *Consideremus* (inquit) *quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etiam si diuina gratia operante, non sumus, vt tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus, agnoscimus.*

Porrò, vt quibus humilitatis, obedientiæ, cœterarumque virtutum, quæ verum Monachum, religiosumque virum decent, esset Maiolus decoratus insignibus; appareat clarius, mirabile ipsius exemplum, quod S. Petrus Damiani ad

Desiderium Abbatem Casinensem, & Cardinalem Epist. 14. recenset attexam; Ac vt maior fides dictis habeatur, ipsum producam loquentem in hunc modum. *A venerabilis* (inquit) *Cluniacensis cœnobij fratribus didicisse me contigit insignia duo sanctæ humilitatis exempla, quorum vnum non mediocriter quosq; prælatos, alterum valet ædificare subiectos. Marcuardus certè* (Marcuardum appellat, quem S. Odilo Adamarum. Alij Aimardum vel alijs nominibus nominant) *eiusdem Rector Ecclesiæ, Maiolum sibimet substituit, & grandeuæ iam senectuti, suæ quietis otium procurauit. Hic itaq; dum priuatus in infirmorum moraretur ædicula, quadam aduesperascente die, caseum petijt, quem Cellerarius pluribus, vt fieri solet, intentus, non modò dedit, sed & duris insuper ministrum eius responsionibus fregit. Conquestus est Abbatum turbam, nec posse se tot Dominorum perferre molestiam; Quo senex audito, non mediocre scandalum pertulit, & quia lumen oculorum prorsus amiserat, dolor in eius corde tenacius hæsit; Nam quo cæcus à visibus vacat, eo quidquid audierit in corde subtilius versat; & quia per exteriora quæq, non spargitur, interiori zeli stimulo truculentius inflammatur; Manè verò facto, ministro suo, vt sese ad manum in Capitulum duceret, iussit, adductus autem ta-*

libus

*libus Abbatem aggressus est verbis. Frater (in*quit) *Maiole, non ego te super me, vt me persequereris imposui, nec vt tanquam emptor mancipio dominareris. Sed, vt te vera patri filius compatereris elegi, & post huiusmodi multa propemodùm commotus adiecit, Es nè, quæso, meus Monachus? Quo respondente, Sum, tuumq; non magis fuisse, quàm & nunc esse profiteor. Et ille, si meus* (inquit) *es Monachus, protinus, Cede Sedi, & locum quem ante te noueras, repete; Quo Maiolus audito, repentè surrexit, humilem locum prout iussus fuerat, expetiuit. Marcuardus itaq; quasi post liminiò reuersus, vacantem occupat sedem; Cellerarium cui fuerat infensus, accusat, quem mox terræ prostratum duris corripit, tandemq; modum pœnitentiæ, quæ sibi videbatur, iniungit. Perfunctus itaq; tam longi tribunatus officio, prestò det bronizatus assistit. Maiolo, vt ad suam sedem redeat præcipit; ille confestim nil cunctatus obedit. In hoc igitur Sancto viro euidenter ostenditur, & veræ virtus obedientiæ, & monasticæ mortificatio disciplinæ. Verè in eo cernitur, & imperialis patientiæ dignitas, & Apostolicæ humilitatis regnare Maiestas. Iussus enim prioratus officium abijcere, non contempsit, iussus recipere, patienter, & humiliter obediuit; vtrobiq; sibimet mortuus, & consummatæ obedien-*

tiæ loco constrictus, dum alienis omninò se substrauit imperijs, nulla proprij sensus in se viuere vota permisit. Sed quoniam tanta beati viri humilitas sterilis esse non potuit, quod prius de Spiritus Sancti rore radix ipsa concepit, prorumpentium ramorum germen pullulando, diffudit.

Hactenus S. Petrus Damiani. Quale autem istud germen ex obedientia Maioli pullulans fuerit, suo loco inferius dicetur.

Egregia Maioli dum Abbas esset facinora, & quid illi in itinere contigerit, Episcopatum respuit.

CAPVT XI.

HOC tam insigni edito humilitatis, obedientiæq; exemplo Maiolus omnes non solùm qui præsentes in Cluniacensi Monasterio fuerant, sed omnes etiam procul positos, ad quos tam præclari facti cognitio peruenire potuit, in sui admirationem traxit. Harum igitur, cæterarumq; eius virtutum fama circumquaq; per Galliam, finitimasq; prouincias peruagata, tantam apud omnes Sanctitatis opinionem adeptus

est,

eſt, vt ad eum ex remotiſſimis etiam locis tanquàm ad veræ pietatis, ac religionis anteſignanum vndiq; magni concurſus fierent, nemoq; eſſet ea tempeſtate intra Eccleſiæ Catholicæ ſepta, qui celebritate nominis, rerumq; geſtarum laude Maiolum anteiret, verè vt de eo S. Odilo in eius vita ſic habeat; *Et in ijs quidem, qui noſtrâ ætate virtutibus conſpicui extitere B. Maiolus præcipuus eſſe viſus eſt, in cuius actione honeſtas, in conſuetudine ſobrietas, in ſecundis rebus modeſtia, & humilitas; in aduerſis patiētia reluxit.* Erat per id tempus Cluniacenſe Cœnobium quaſi alueare quoddam (vt Baronius ait) ſuaue olentium gratiarum, ex quo innumera virtutum exempla manarent, itaut nobiliſſimi quiquè Principes viri, ac Reges, illud vel amplisſimis muneribus decorarent, vel Maioli probatiſſimæ vitæ exemplo pellecti, ſacrum illum ordinem ingrederentur Deo liberius inſeruituri, quod de Guillelmo prouinciæ Aquitaniæ præfecto teſtatur S. Odilo, *Qui per Sancti viri merita* (inquit) *& fida obſequia B. Benedicti habitum induere meruit.*

Extant in bibliotheca Cluniacenſi duæ publicæ tabulæ, quibus Lotharius Rex Francorum Monaſterium S. Amandi, quòd eſt in Comitatu Traheſino cum omnibus ſuis iuribus S. Maiolo

Abbati Cluniacensi, eiusq; successoribus perpetuò administrandum concessit. Ex quò effectū est, vt tantum Regem imitati non pauci Principes alij, Cluniacensi Monasterio, vel ditissimas hæreditates legarint, vel accersito Maiolo, noua erigendi Monasteria in suis ditionibus facultatem concesserint, vel iam constructa, & erecta, ad arctiorem Monasticæ disciplinæ tenorem, vt reuocaret, auctores fuerint.

Dum autem in strenuè promouendis hisce pietatis operibus totus esset Maiolus, nihilq; vulgare, aut non magnū versaret animo, id sibi quàm gratum, acceptumq; esset insigni voluit Deus miraculo palam facere. Dederat se fortè in viam cum quibusdam socijs, ac famulis aliquando Maiolus ad promouendam in sacris sui Ordinis ædibus maiorem Dei gloriam, nulli alij magis intentus rei, quàm vt animarum saluti prospiceret, cum fortè post emensum longi itineris spatium, consumpta omni, quam secum tulerant annona, genus quoddam fructuum agreste, quod auctor Cluniacensis Historiæ moruclas appellat, colligere hinc inde in vespertinam refectionem famulum nomine Sibrardum Maiolus iussit. Aduesperascente die cum collectas moruclas adeò ex compressione corruptas reperisset Sibrardus, nullo vt pacto esui esse

possent

possent, mœrorem inde ipse, reliquique itineris socij non modicum hauserunt; Nec fefellit hoc diuinitùs edoctum, quamuis seorsim orationi intentus esset, Maiolum, accersitumque Sibrardum monuit, per ea loca, in quibus consederant, quæreret, futurum enim, vt moruclas quotquot vellet, reperiret. Res mira, tantam repentè moruclarum copiam inuenit, vt & vespertinæ refectioni abundè sufficerent, & pro tanto in eos prouidentiæ edito signo ingentes Deo gratias agerent. Maiolus autem nequa subreperet animo inanis gloriæ titillatio vetuit seriò, ne cui, se viuo, factum hoc euulgaretur.

Et prudenter quidem mundanam omnem aspernari gloriam, quæ re vera nihil est, benè de Deo sentientes consueuerunt. Quid enim stultius, aut inanius, quàm laudem sibi, ac gloriam pro benefactis, quæ soli Deo debetur, vindicare, indignumque se diuinis beneficijs præbere? Optimè S. Ambrosius intrà modestiæ, atque humilitatis limites post accepta Dei dona consistendum esse, iactantiamque omnem, qua diabolus sæpè fortes etiam, ac Sanctos decipit, esse fugiendam monet. *Tu (inquit) si munera diuina superfluere in te, ac redundare cognoueris, tuam metire virtutem, gratiam Deo redde, contemplationemq; corporis velut nauis,*

sabur-

saburram suscipe, ne te in tantis mundi fluctibus iactantiæ alicuius aura circumferat : ita S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus.

Tam piè, ac vtiliter monenti, quàm benè paruit Maiolus? qui pro collato sibi, ac socijs à Deo beneficio, non solùm gratias illi egit, gloriamq; tribuit, verùm, & sibi spontè oblatos honores, ne humilitatis, modestiæq; fines transiliret, reiecit. Obierat paucos ante dies Vesuntiensium Episcopus Ansierius, quem ei dignius substituerent Princeps, Clerus, & populus eius Ciuitatis Maiolo non repererunt. Mittuntur ex primoribus ciuium cum amplissima legatione, qui Maiolum ad eam dignitatem capessendam inuitent, hortentur, exorent, sed qui Abbatis insignia inuitus, & non nisi intentato anathemate sumpserat, Episcopales infulas adduci se pateretur, vt admitteret? Vesuntiensium legati frustrà se in Maiolo exorando tempus terere animaduertentes, ad suos re infecta, reuerterunt. Maiolus interim à Gaufredo Comite Cabilonensi inuitatus, vt Monasterium S. Marcelli in suburbio Cabilonensis Vrbis positum, à Guntranno olim Rege ædificatum, prædijsq; ac possessionibus auctum, possidendum acciperet, ditionisque Cluniacensis Monasterij faceret, ad eum est profectus, Monachos adduxit, leges statuit,

ibi-

ibiquè diù regularis obseruantia ex præscripto Cluniacensis ordinis viguit, quòd constat publicis eiusdem Monasterij tabulis in bibliotheca Cluniacensi insertis.

Plures item per id tempus Abbates per vniuersam Galliam constituit, quos spectata virtus, ac probitas pares ei honori faciebat. Inter hos longè excelluit Guillelmus ille a Scriptoribus eius temporis, præcipuè Glabro Rodulpho, & a S. Odilone laudatus, qui natione Italus, atque in Liguria nobilibus parentibus natus, S. Benigni Monasterio Diuionensis Vrbis in gratiam Brunonis eiusdem Ciuitatis Episcopi a S. Maiolo Abbas fuit electus, missis cum eo tredecim Cluniacensibus Monachis lectioribus, qui religiosæ vitæ veluti satores diuinum cultum, atque Ecclesiasticam disciplinam mirificè propagarunt, vt ex Claudio Roberto in sua Gallia Christiana cap. de Episcopis Diuionensibus, & ex Chronico eiusdē Monasterij S. Benigni habetur.

Guillelmum hunc, vti de vniuersa Christiana Republica, de Fide Catholica, deq; Romani Pontificis auctoritate optimè meritum eximijs, verisq; laudibus effert Cardinalis Baronius, cū enim ad Ioannem XX. Summum Pontificem Basilius, & Constantinus Orientalium Imperatores Legatos Romam misissēt postulantes Oe-

cumenici

cumenici titulum, qui soli Romano Pontifici vt potè Christi Vicario iure debetur, vellet Constantinopolitano Patriarchæ concedere, immineretq; periculum, ne Ioannes, primoresq; Vrbis largitionibus, xenijsq; corrupti in rem tam fœdam consentirent, Guillelmus epistolam ad Ioannem dedit, breuem illam quidem, sed adeò aculeis, Diuinaq; Sapientia armatam, vt a tam nefario, detestandoq; proposito Ioannem auerterit. Ea recitata Baronius hæc subdit. *Hucusq; Guillelmi epistola ad Ioannem creatum Pontificem, quæ tanti ponderis fuit, vt leuem hominē, ne faceret, quod moliebatur animo, cohibuerit.* Atq; hęc in laudem conterranei mei dicta sunto.

Monasterium autem illud, quod S. Maiolo hortatore Siluiniaci a fundamentis Erchemboldus pijssimus Princeps excitauit, tantam apud omnes commendationem promeruit, tam magnificè splendidèq; fuit extructum, vt regiam propè munificentiam exæquarit. Testatur id S. Odilo, qui in vita S. Maioli sic habet.

Erchemboldus etiā Siluiniacensis loci prouisor fidelissimus, idemq; inter suos clarissimus, & adiacentis Patriæ Pater, pauperumque Tutor fortissimus, quàm insigni ergà S. Maiolum animi deuotione fuerit, locus quem diximus abundè confirmat, & antè, & post obitum semper memorandi

morandi Patris, & ædificijs, & multiplici ornamento excultus, itaut regiam quandam ea in re liberalitatem exhibuiße videatur. Hactenus S. Odilo. Porrò, quæ alia monasteria in Gallia, atque in Italia, vel ædificarit Maiolus, vel sanctissimis institutis firmarit, suo loco dicetur. Illud certè constat, tam ingenti numero fuisse, vt Ado Viennensis, & Ioannes Molanus appellent Maiolum Monachorum patrem, & multorum cœnobiorum fundatorem.

Adamari quondam Abbatis Cluniacensis Mors. Maiolus summum Pontificatum recusat.

CAPVT XII.

AGEBATVR annus a Christi Natiuitate 963. Cum Adamarus quondam Abbas Cluniacensis senio, cæcitateq; confectus nouem post annos ex quo Maiolum successorem habuerat, è viuis excessit, cui cum iusta fuissent persoluta, religiosèq; de more parentatum, maiorem apud aram Ecclesiæ Cluniacensis

ſis, vt Claudius Robertus habet, honorificè iuſſus eſt a Maiolo tumulari.

Fuit illud ſæculum quo Maiolus vixit, teſte Baronio, *Ob ſui aſperitatem, ac boni ſterilitatem ferreum, ob mali exundantis deformitatem plumbeum, ob inopiam Scriptorum obſcurum. Tot enim, ac tantis per ea tempora Eccleſia Catholica agitata eſt malis, tot quaſſata ſeditionibus, tot impetita diſcordijs, vt eam Dominus dereliquiſſe ad tempus fuerit viſus. Romæ precipuè, quæ caput eſt Religionis, ac fidei, tam ſacra, quam profana factionibus ità miſcebantur, vt pœnes illam partem eſſet promotio ad Apoſtolicam Sedem Romani Pontificis, quæ potentior appareret, & modò Romanorum Proceres, modò Aetruriæ Princeps inuaderet ſæculari potentia, quem vellet, & deijceret, quem poſſet Romanorum Pontificem à contraria factione promotum, quæ toto hoc fermè ſæculo ſunt actitata, quouſquè Germaniæ Imperatores Othones medij intereeſſere, vtriquè parti contrarij, arrogantes licet, & ipſi, ſibi pariter Papæ electionem, atq; electi deiectionem.* Hæc Baronius in principio ſæculi. 900.

Contemplari tamen hic cum Baronio tom. 10. libet Summam D. O. M. prouidentiam, amoremq; quo Eccleſiam ſibi in fide deſponſa-

tam

tam est complexus, quamq; se nunquam dereli-ćturum est pollicitus, innumeris enim impiorum hominum motibus, tyrannorumq; contumelijs licet persæpe appetita, nulli tamen Hæreticorum doli, insidiæq; inficere, aut vitiare illam per ea tempora potuerunt. Cum enim supremam in Ecclesia Catholica dignitatem, ac Petri sedem per summum ambitum, ac fraudes occupasset Octauianus Alberici Patritij Romani filius, Patri demortuo in Principatu Vrbis successor Ioannes XII. vixq; 18. ætatis annũ egressus, qua ætate nec Diaconus esse poterat, visus est, ut ait Baronius, tanquam mimus in scæna agere, & non Petrum, sed vix vmbram Petri, referre. Quare cum ea res omnium bonorum animos vulneraret, cunćtaq; fœditatibus, probrisq; scaterent, qui saniore mente in fędam adeò electionem non consenserant, Othonem Imperatorem pijssimum Principem, vt opem ferret, malisq; occurreret, quæ maiora in dies timebantur in Italiam accersiuit.

Non defuit Otho, qua erat in Deum pietate, quin labanti Christianæ Reipublicæ, piorumq; hominum votis faceret satis, communicato nãq; vt credi par est, cum Maiolo, cui plurimum deferebat, consilio, comparatoq; satis firmo exercitu, vt si opus esset, Berengarij, atq; Adelberti

eius

eius filij tyrannidem, qua Italiam premebant retunderet, Romanorumq; factiones, quibus pax, & tranquillitas Christiana scindebatur, exterminaret, Romam adijt, cum Ioanne Pontifice iterum, atq; iterum egit, hortatusquè est, vt se ipse respiceret, aut saltem querelas aduersus se Romanorum dilueret. Id cum sæpius, sed frustra tentasset, zelo quidem diuini honoris, Ecclesiæq; tranquillitatis conciliandæ desiderio, at non secundum scientiam, coacto plurimorum Episcoporum, Cardinaliumq; Concilio, redigendum in ordinem Ioannem, aliumq; ei substituẽdum decreuit. Cum igitur Maioli prudentiam, cæterasq; hominis virtutes perspectas haberet, optimè consultum christianorum omnium bono existimauit, si illum ad vniuersale Ecclesiæ regimen admoueret. Missis itaq; Nuntijs, datisq; litteris humanitate plenissimis, quod & Mathildem eius matrem idem fecisse testatur Chronicon Cluniacense, Romam illum accersit, neuè sibi deesset in re adeò honesta, quæquè in totius orbis Christiani vtilitatem verteret, rogauit. At Maiolus gratijs Imperatori actis, satius Cluniaci in Religionis portu se continere, quàm inuastissimas honorum procellas se se Romæ immittere, duxit.

Quis hic renouata Gregorij, Ambrosij, Nazian-

zian-

zianzeni, Basilij, cęterorumque antiquorum Pontificum exempla non fateatur? Et sanè si quis honores, quantumuis sacros, & summos, quasq; secum sollicitudines trahunt, inspiciat, tempestatibus eos similes, quibus assiduè possidentium mentes iactantur, iudicabit. Rectè Gregorius 1. par. Past. cap. 9. *Quid est* (inquit) *potestas culminis, nisi tempestas mentis?* Et Isidorus lib. 3. cap. 2. de summo bono. *Quantò quisquam in superiori constitutus est loco, tantò in maiori versatur periculo*. Sapienter hoc cauit Maiolus, qui ne caderet, eleuari dignitatibus renuit.

Otho spe sua de Maiolo frustratus, Leonem prothoscriniarium Ioanni subrogandum curauit. Quæ omnia, cum ab Ecclesiasticarum reru Scriptoribus accuratè descripta sint, hic nobis tantùm innuisse sit satis. Baronius certè appellat ea tempora, deploratissima, quòd tolerare coacta fuerit Ecclesia tam indignum caput, quæ si minus in eius electionem consensisset, exorto schismate, duo quasi Hydræ capita, quod deterius foret, pateretur.

Visa igitur est tunc Pietas, ac Religio, quasi solum Italiæ vertisset in Gallias profecta, ibiq; fixisse sedem, cum per Cluniacensis Ordinis alumnos Christianas virtutes fereret, Dei furo-

rem cohiberet, eiusque iam iam detonaturam dexteram retardaret. Maiolus enim animarum salutis cupidissimus, Cluniacēsem familiam mirum in modum amplificabat, tum socijs recentibus sibi adscribendis, tum colonijs in alias regiones, prouinciasq; mittendis. Nec immeritò Principem Monasticæ disciplinæ appellat eum S. Odilo, dum in eius vita sic habet. *Honorabant illum Apostolicæ Sedis Pontifices, vt qui re vera esset eo tempore Monasticæ disciplinæ Princeps. Ille D. Cæsar, & maximus Otho diligebat eum pectore toto. Prosequebatur eum Cæsaris illius Coniux Adelais Imperatrix Augusta caritate sincerissima, & deuotione mirabili. Nec parum amabat eum eorū filius Otho Imperator; Conradus quoq; Rex nobilis, & pacificus iam dictæ Imperatricis frater non impari affectu, & voto eum complectebatur, atq; eius nobilissima Coniux Mathildis quantò crebrius esset vultum eius contemplata, tantò maiori eius feruebat amore.* Hactenus S. Odilo.

Qui nam autem fuerint Apostolicæ Sedis Pontifices, qui Maiolo honorem detulerint vti principi Monasticæ Religionis, dicetur inferius. Nunc de Othone dicendum est, quem si de Vnnis efferatissimis Populis, cum tribus eorum Regibus in Germania bello deletis, triumphasse, si

de

de Berengario, atq; Adelberto tyrannis in Italia profligatis, multisque alijs auctum victorijs, vnde, & Magni cognomen, Alexandri Macedonis instar, promeruit, admiramur; id non tantùm eius virtuti, ac fœlicitati; quàm Maioli consilijs, & precibus tribuendum est; propagationemque Imperij ad posteros ex eo prouenisse illi affirmat Baronius, quia bona Ecclesiæ a Berengario per summum scelus Iulio Pontifici ablata, vnde, & Imperium amisit, Otho Magnus Ioanni XII. restituit, filioquè, ac nepoti, stabiliuit.

De Mathilde autem Conradi vxore, non eam esse, quæ bonorum suorum in Italia Apostolicam Sedem fecit hæredem sub nomine patrimonij S. Petri, licet multi eandem esse existimarint, supputatio temporum, & veritas ipsa conuincit. Ac, quamuis multæ fuerint eodem tempore viuentes hoc nomine Mathildes, duas tamen Maioli familiaritate celebriores apud auctores tantùm reperio, Mathildem, Othonis Magni primi Imperatoris matrem, Alberstati in Germania tumulatam, præclaro sanctitatis elogio ab Vuitichindo celebratam, quæ anno 973. decessit, & hanc Conradi Regis vxorem in S. Abbatem Maiolum propensissimam, paucos post annos desideratam. Nam de Mathilde

optimè de Sede Apostolica merita, Beatricis filia Godefrido Lotharingiæ principi primùm, deinde Vulphoni Bauariæ Duci, bellicosissimo viro nupta, vt Domnizo presbiter ait, qui morienti adstitit, mortuæq; parentauit; licet ad 69. ætatis annum vixerit, constat, sequenti sæculo vixisse, mortuamq; anno 1115. die 24. Iulij, vt notauit Baronius, qui veritatem hanc multis mendaciorum inuolucris latentem, in lucem eduxit, ac patefecit.

Finis Libri primi.

De Vita, & rebus gestis

S. MAIOLI

ABBATIS CLVNIACENSIS CONGREGAT. SOMASCHÆ TITVLARIS.

LIBER SECVNDVS.

ADVENTVS MAIOLI IN ITALIAM, & quæ hic ab eo gesta. Caput I.

SEcundus hic liber a secundo Maioli in Italiam aduentu initium sumet; Cuius quidem aduentus causam eam fuisse dicit S. Odilo in vita Adelaidis Augustæ, quòd ab Othone II. Imperatore, Othonis Magni filio fuerit Papiam accersitus, vt matri Adelaidæ, cum qua simultates exercebat, quamq; non leuiter offenderat, interuentu Maioli conciliaretur. verba Odilonis hęc sunt. *Postmodùm verò Cæsar Otho ductus pœ-*

nitentia direxit legationem Regi Auunculo, & sanctæ recordationis Patri Maiolo, sub celerrima festinatione obnixius deprecans, vt gratiã matris quam suis exigentibus culpis perdidisset, eorum interuenientibus promereri posset, orans eos vt quantocyus possent vnà cum Augusta matre Papiam ei studerent occurrere. Hæc Odilo.

Est Papia, quæ, & Ticinum dicitur, a fluuio eiusdem nominis quo alluitur, a Verbano lacu (vt Paulus Diaconus ait) originem habente, nobilis Insubriæ Ciuitas, ab antiquis Liguribus Assueri Persarum Regis tempore condita. Hanc Ostrogothi primùm, post amissam in Italia Romani Imperij gloriam, eiusq; sedem in Orientem a Constantino Augusto translatam, occupauere; tum Longobardi è Pannonia in Italiam à Narsete Iustiniani Imperatoris Duce in odiũ Sophiæ Augustæ, à qua se læsum querebatur, spe opulentissimæ prædæ, accersiti. Alboinus decimus eorum Rex, expugnatis, captisq; multis Italiæ vrbibus, Papiæ primus regiam sedem fixit, caputquè Italici Regni constituit, quod per ducentum, & septem annos florentissimum in Desiderio vltimo eorum Rege a Carolo Magno post diutinam obsidionem deuicto, in Galliasq; abducto, desijt, anno Salutis 773. Hac Vrbe Carolus Magnus pulchritudine ædificiorum,

agri fertilitate, Cœli clementia, Ciuiumq; præstantia delectatus est plurimùm: in ea Accademiam, seu publicum Gymnasium toto Orbe celeberrimum instituit, à Ioanne Galeatio Vice-Comite, Mediolanensium Duce insigniter deinde restauratum. Othones Imperatores Carolum Magnum æmulati, Papiæ vt plurimùm residere, insignioresq; anni festiuitates ibidem celebrare consueuerunt. Maiolus igitur Papiam delatus, ita cum Augusta, atq; Othone egit, vt discordiarum causa sublata, pacem inter vtrumq; conciliarit.

Erat Otho II. plurimis quidem virtutibus, animiq; dotibus, quæ summum Principem decent, ornatus, at eas omnes vna vlciscendarum iniuriarum cupiditas, feritasq; animi corrumpebat; cuius rei argumento, cum defuncto patre, Romam, ad suscipienda Imperij insignia profectus esset, memor Italicarum defectionum, quibus Otho eius pater acerbè fuerat exagitatus, consilium crudelius, quàm vtilius inijt, ad posteritatis memoriam sola immanitatis nobilitate trasmittendum; Magnificentissimo enim in Vaticano Palatio apparato conuiuio, Principes, ac legatos ciuitatum omnes, qui celebrandi aduentus sui gratia Romam venerant, qui vocati ab eo aderant, inuitauit; vbi verò cuncti ordine

accubuissent, præconis voce, ne quis ad ea, quę audiret, videretuè, aut vocem misisse, aut sede sua se mouisse auderet, pœna capitis proposita, denunciatum est, ac statim conuiuæ omnes intromissis armatorum cateruis ex composito circumuenti, trepidantibus ad tale spectaculum singulis, statim nomina eorum, qui aut seditionem, aut tumultum conflauissent, recitata, tristique de illis pronunciata sententia, in cæterorum oculis, supplicium sumptum. Ex quo illi deindè cognomen Sanguinarij. Hæc ex Sigonio lib. 7. de regno Ital. Qui, & huiusce barbaræ feritatis sequenti anno pœnas luisse Othonem affirmat; Eo enim cum Græcis, ac Saracenis in Apulia cuncta vastantibus prælium cōmissuro, exercitus ea pars, quæ ex Romanis, Beneuentanisq; constabat, hominis sæuitiæ in Romano conuiuio exercitæ memores, in ipsius pugnæ procinctu à signis recessit, ex quo effectum est, vt reliquus eius exercitus terrore perculsus, non solùm fusus, fugatusq;, sed etiam fœdissima fuerit strage concisus; ipseq; Otho semianimis, ac trepidus ad mare profugiens, cum se nauiculæ commisisset, piratarum metu in mare prosilijt, vixq; enatauit. Ea clade accepta, non minùs Græcis, ac Saracenis hostibus, quàm Romanis, ac Beneuentanis amicis iratus, post Be-

neuen-

neuentum occupatum, atque ad vindicandam oppidanorum perfidiam hostiliter dirutum, Romam se, easdem de Romanis sumpturus pęnas cum validissimis copijs conferre statuit. Quod cum Adelaidæ matri, Maioloq; nunciatum esset, nullum non mouerunt lapidem, vt eum ab huiusmodi proposito dimouerent. At frustrà id fieri Maiolus animaduertens, prophetico plenus Spiritu (vt Chronicon Cluniacense habet) si porrò ire pergeret non rediturum Roma Othonem, prædixit. Euentus omen probauit, octauo enim Idus Decembris eiusdem anni, tristi animi ægritudine tabefactus interijt, corpusque in vestibulo Basilicæ Vaticanæ sepultum.

Mirum autem est, Othoni tertio Imperatori huius filio, idem prorsus vaticinatum Romualdum Abbatem sanctissimum, qui Maioli tempore floruit, nam cum Otho quod Romualdus, consulebat differret facere, seq; facturum postquàm Roma Rauennā reuertisset, polliceretur. *Tu verò* (inquit Romualdus) *si Romam perrexeris, Rauennam te non amplius visurum, scito*, quod, & factum est, nam à Crescentis Romani patritij vxore, quem sub fide, e mole Adriani eductum Otho superiore anno suspendio necauerat, venenato chirothecarum munere deceptus, Princeps clarissimus lenta tabe fuit extin-

ctus:

ctus: Hic patrem, auumq; in Christiana pietate longo interuallo exsuperans, Maioli exemplo, atq; adhortationibus adeò profecerat, vt nihil illi esset antiquius quàm viros sanctitate conspicuos reuereri, eorumque familiaritate, atque colloquijs se ipse iuuare.

Quòd verò Maiolus, ac Romualdus Othonibus patri, ac filio Imperatoribus mortem, quæ illis certò obuenit, prædixerint, dubitari nequaquam potest, quin Spiritu Dei acti id præstiterint. Necesse enim est in Ecclesia Catholica prophetiæ Spiritum reperiri, tanquàm diuinitatis argumentum, qui alibi esse non potest. Quòd si aliquando Dęmon, vel etiam maleficus arte dęmonis futura plerumq; pręnoscere, ac diuinare videantur, id non ex supernaturali lumine, sed ex naturalibus tantùm causis, atque obseruatis rerum coniecturis oriri, dicendum est, Deus enim solus certam eorum, quæ liberè futura sunt, præscientiam habet, qui si aliquando prærogatiuam hanc quibusdam impertit, id, vel ad eorum indicandam sanctitatem, vel ad eorũ contundendam audaciam, ac improbitatem facit, qui Deum res humanas non curare temerè sibi persuadent. Certè cum se Deum, gentiũq; symulachra, inania esse figmenta demonstrare vellet, ex futurorum prædictionibus apertè id

coar-

coarguit, *Annunciate* (inquit per Prophetam Isa. 23.) *quæ ventura sunt, & sciemus quia Dij estis vos*. Maiolum igitur, ac Romualdum Sanctissimos Abbates dum legimus, oracula rerum futurarum, quæ Dei propria sunt, a Deo obtinuisse, quis neget diuinitatis, ac diuini ergà ipsos amoris illustri quodam testimonio, ac veluti tessera fuisse insignitos?

Præclara Maioli, atq; Adelaidæ Augustæ Papiæ acta.

CAPVT II.

Conciliato Maioli opera, vt dictum est, Othone II. Imperatore matri eius Augustæ, Romamq; Othone profecto; Maiolo, & Adelaide Papiæ demoratis, quæquè ad splendorem vrbis, Deiq; cultum amplificandum pertinebant, sedulò peragentibus, vrbs statim Papia reflorescere, nouamq;, sed pulcherrimam induere faciem visa est. Cur autem Adelais tam propensa in Papienses voluntate fuerit, vt totum ferè suæ ætatis tempus Papiæ insumpserit, eamque ædificijs, atque operibus tùm publicis, tùm

priua-

priuatis exornarit, non abs fuerit, paullò diligentius inquirere, nataliaq; eius recensere. Fuit hæc Rodulphi, ac Bertæ Burgundionum Regum filia, quæ Lothario Vgonis Galliæ, atque Italiæ Regis filio primùm nupta, eo mortuo, Papiam nomine dotis, obtinuit. Berengarius Rex Cisalpinæ Galliæ, cuius astu, & fraudibus Lotharius phrenesi correptus interierat, Adelaidem, vt cum Adelberto filio, ac Regni socio nuptias contraheret, postulauit. Renuentem bello persequi, perq; vim in suam sententiam trahere, quòd legationibus, blanditijsque non euicerat, nititur. Papiam igitur, vbi tunc Adelais erat, obsidet, facili negocio expugnat, Adelaidem capit, reluctantemque adhuc, ac respuentem coniugium filij, in Castrum Gardæ, propè lacum Benacum, includit. Inde ipsa cùm vnica pedissequa aufugiens, ad Athonem auunculum suum Canussij Comitem, se recepit. Berengarius iracundia inflammatus, multis coactis copijs, Canussium obsidione cingit; extrema vtrique minatur. Otho, atq; Adelais viribus impares, Othonem primum Regem Germaniæ bellica gloria tunc florentem, spe patiundi Italici Regni, Adelaidisq; coniugij in auxilium aduocant. Accurrit Otho valido cum equitatu, & peditatu, breuiq; Canussium obsidione liberat:

rat: Berengarium Papiæ se tuentem bello persequitur; Inde illum expellit, postridie Papiam triumphantis in morem ingreditur: ibi nuptias cum Adelaide forma corporis, animiq; dotibus nulli per id tempus mulierum secunda, solemniter celebrat.

Primo nuptiarum anno, Adelais Papienses dirissima peste laborantes admonet, vt si salui esse velint, corpora Sanctorum Synesij, ac Theopontij ex Nonantulano Monasterio Papiam asportent, indictaq; supplicatione, salutem à Diuino Numine eorum interuentu exposcant. Papiensibus dicto audientibus, depulsa statim lues, pristinæq; Vrbs sanitati reddita. Adelais successu hilaris, Sanctos eos suppliciter venerata, Papiensi Ciuitati tutelares adsciuit. Nec ita multo post, Othonem in Germaniā sequuta, filios ex eo optimæ spei suscepit, Othonem in primis regnorum patris hæredem, atque Imperij successorem. Othone marito, Liburgi in Germania vita functo, Papiam regressa, totam se diuinis contemplationibus, charitatis officijs, pietatiq; dedit. In his, adiutore potissimùm, atq; impulsore Maiolo, tantum profecit, vt, S. Odilone teste, sanctitatis prærogatiuam sit adepta, & miraculorum gloria illustris habeatur. Nihil potius habuit, quàm regias opes, atque im-

immensas propè quibus abundabat diuitias, post publicas extructas domos, ac Xenodochia ad excipiendos extrema inopia periclitantes, in construendis Deo, Cœlitibusq; templis, ac sacris ædibus, erogare. Præter enim quàm quòd multa per Germaniam vbi Otho magnus eius coniux decesserat, reliquit suæ liberalitatis, ac munificentiæ monumenta, in paternæ etiam ditionis regno, magnificentissimum templum Dei Sanctissimæ Genitrici sacrum; Papiæ alterum Deo Christo Saluatori dicatum à fundamentis erexit, quæ B. Patri Abbati Maiolo à cuius nutu tota pendebat, eiusquè in posterum successoribus in Cluniacensi regimine subiecta perpetuò esse voluit. Testatur hoc S. Odilo in vita Adelaidis Domno Abbati Andreæ S. Saluatoris in suburbio Papiensi ab ipso dicata his verbis: *In patris verò Rodulphi nobilissimi Regis, & Domni Conradi fratris regno loco vz. Paterniaco, vbi matrem reginam nomine Bertam Deo in omni bonitate deuotam sepulturæ tradidit, in honorem Dei Genitricis Monasterium condidit, & sanctissimo Patri Maiolo, eiusque successoribus sua munificentia, & fratris sui Conradi regis præcepto, perpetuò ordinandum commisit. Postmo dùm in Italia iuxtà Ticinũ vrbem, Monasterium à fundamentis incæpit, & ad*

& ad honorem Saluatoris Mundi honorificè Imperiali auctoritate, & sua largissima donatione perfecit, prædijs, & ornamentis amplissimis ditauit, & iam dicto Patri Maiolo ordinandum regulariter tradidit. Hæc S. Odilo.

Templum hoc mira amplitudine, artificioq; præcellentis structuræ admirabile, ad cuius læuam ingredientibus sacellum cum altari D. Maiolo dicatum obijcitur, in cuius parietibus miracula ab eodem sanctissimo Abbate in itinere gesta pictoris excellentissimi manu affabrè depicta vtrinquè conspiciuntur, extat adhuc, tamquam pietatis, atque obseruantiæ Cluniacensium Monachorum (qui nunc, resumpto antiquo nomine, Cassinates appellantur) in suum sanctissimum Abbatem, ac Præsidem monimētum singulare, atque exploratissimum.

Dum verò Adelais Augusta, regio verè sumptu, profusaq; munificentia templa Deo, sacrasque ædes religiosis hominibus tamquàm propugnacula ad arcendos quoscunq; hostes parat, Maiolus intra Vrbis mœnia Sanctimonialibus ginęcea sacra, atque Ecclesiam vbi cęlesti sponso diuinas laudes tutò psallere, eique soli inseruire, ac placere possent, excitauit. Testatur hoc epigraphe foribus Ecclesiæ S. Felicis, quam sacræ Virgines Cluniacensis ordinis colunt imposita,

posita; quæque adhuc iuxtà præscriptum regulæ S. Patris Benedicti a B. Maiolo Abbate sibi traditæ, religiosè, accuratèque seruant. Beatum enim Patrem Maiolum institutorem, conditoremque suum agnoscunt, ac venerantur.

Antiquissimum hoc sacrarum Virginum institutum, quæ nuncupatis Deo votis, perpetuò claustris inclusæ Cœlesti Sponso procul a seculi inquinamentis tantùm deseruiunt; Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, decusq; amplissimum, affert. Hoc autem in veteri Testamento non defuisse, sed inde sumpsisse originem, & ad nos transiuisse, satis apertè liquet ex pluribus sacræ scripturæ locis, ac primò ex historia Machabeorum cap. 2. vbi Virgines clausæ dicuntur procurrisse ad fenestras conspecturæ Oniam, idque eas ab hominum aspectibus, consortioq; remotas, soliq; Deo sepositas dicatasq; apertè demonstrat. Ex loco Exodi cap. 38. etiam patet, mulieres excubantes in ostio tabernaculi quasi militari more diurnas, nocturnasq; vigilias peragerent, atq; in Dñi Castris mererēt demōstrās. Annam prophetissam, Lucas Euangelista c. 2. narrat nunquam discessisse de templo, sed orationibus, & ieiunijs intentam, seruijsse Domino die, ac nocte. Beatissimam Virginem Dei Matrem in eo sacri Hyerosolimitani templi gi-

neceo

necço altam, atque educatam fuisse, non pauci ex sanctis Patribus existimant: nam quamuis lex de offerendis Deo primitijs, ad mares tantũ referretur, priuata tamen pietate, quin hoc de fęminis etiam fieri posset, nihil obstabat. Maiolus igitur, non tam veteris, quàm noui testamenti exemplis permotus, S. Patris Benedicti in primis imitator factus, nouas Papiæ sponsas, nouas matres familias instituit, quæ, non quidem corpore, sobolem Reipublicę, sed filias Deo procrearent, pudicitia scilicet, modestia, religione, virtutumque omnium exemplis, quibus homines a vitijs, & mundi voluptatibus, ad veram virtutem prouocantur, Cęlitũmque familiæ adscribuntur.

Neq; verò solùm intrà Papiensis agri terminos constitit Cluniacensis ordinis propagatio, sed per vniuersam ferè Insubriam effusa, Laudi Pompeię S. Marco Euangelistæ, Mantuæ propè Padum S. P. Benedicto, Cremonæ, S. Gabrieli Archãgelo, Caluentiani, in agro Mediolanensi Beatæ Virgini Mariæ, Pontidæ, in diæcesi Bergomensi, S. Iacobo Apostolo, Canturij diœcesis Mediolanensis, Sanctis omnibus, Cœnobij iuxtà lacum Larium Nouocomensis diæcesis, Ecclesiæ, ac Cænobia, tùm Monachis, tùm Monialibus S. Maioli studio fuere excitata, dicataq;

Legat, qui volet, Bibliothecam Cluniacensem pag. 1820. vbi omnium Ecclesiarum, Prioratuum, Abbatiarum, ac domorum describitur numerus, quæ Cluniacensi Abbati subiectæ a Sancto Maiolo, & eius successoribus normam viuendi acceperunt. Nos ad alia properantes, de his satis.

S. Maioli dum Papiæ esset miracula.

CAPVT III.

Miracula, quorum patratio in Ecclesia tantùm Catholica reperitur, esse vnum ex præcipuis signis, quo Deus testatam alicuius velit Sanctitatem, res inconfesso est apud omnes sincerè Catholicos. Ac licet per homines peccatis obnoxios accidat aliquando miracula fieri, vt de Iosepho illo nobili Tiberiensi hebręo refert S, Epiphanius, lib. p. tom. 2. cont. Ebion qui nondū sacris lustratus vndis, Sanctissimo Iesu nomine inuocato, Crucisq; signo adhibito, ab humano corpore dæmonia abegit, id tamen præstat Deus, vel ob veræ fidei confirmationē, vel ob maius Ecclesiæ Catholicæ bonum; Cum vix fieri queat, quemquam diuina gratia desti-

tutum

tutum, aut rectæ fidei aduersantem, aut deniq; praué, malitiosèque a Deo miracula expetentē, exaudiri, votiq; fieri compotē, ne Deus, qui summa bonitas est, quique nec falli, aut fallere potest, mendacij, aut mali alicuius actuor esse videatur. Hinc meritò, ac sapienti planè consilio institutum esse ab Ecclesia videmus, ne quis in Sanctorum numerum prius cooptetur, quàm de vita eius piè, religiosèq; transacta, ac demiraculis, siuè dum viueret, seu postquàm vita functus est ab eo patratis, omni qua fieri possit diligentia, accurataq; indagine, disquiratur.

Sunt namq; miracula, tamquam tessera, atq; insigne quoddam diuinæ ergà sanctos beneuolentiæ, amplioris gratiæ, ac meritorum indices, cœlestis gloriæ, æternæq; fęlicitatis certissimum argumentum. Quare eos meritò adoramus, adorareq; iubemur adoratione duliæ, qui a Christi in terris Vicario Sacræ sunt apothesis honorem consequuti, quosq; in Cœlo tanquam Dei familiares, patronosq; nobis, ac tutelares adsciscimus. Maiolum igitur, miraculorum prestantia, gratiarumq; numero nulli Sanctorum, quos legerim, secundum, ità admirata est Gallia, atque Italia omnis, vt tanquàm Princeps Religionis per ea tempora S. Odilone teste haberetur.

S. Petrus venerabilis quartus a S. Maiolo

Abbas Cluniacensis miracula ab eodem S. Abbate patrata duobus libris complexus; licet mihi laborem ademisse videri posset, quia tamen non omnia illis libris compræhenduntur, libet hic, quæ ab illo prætermissa sunt, Papiæ præsertim acta, adnotare. Atque illud primò occurrit admiratione dignum, quòd cùm mediæ noctis silentio ad Ecclesiã Diuo Syro dicatam: quem præcipuo cultu, ac veneratione Papienses prosequuntur (quod is primus Apostolorum principis iussu, christianæ fidei fundamenta Papiæ iecit) sanctissimus Abbas, cum aliquibus socijs ad preces Deõ fundendas, pergeret, lumen quod vnus e famulis præferebat, nulli quamuis flarent venti, subita vi extinctum, cunctos perterruit, metuque attonitos, reddidit. At Maiolus Dæmonis astu, ac fraude id factum suspicatus, bono animo esse socios iussit, ac, ne incæptum desererent iter, hortatus est. Vix igitur ad Ecclesiæ valuas accessum, vix genua ad orandum flexa, cum, ecce denuò lumen accenditur, metus, quo mentes inhorruerant, pellitur, nouaque perfusi lætitia, ad supplicandum Deo attentius, gratiasque pro beneficio agendum, inflammantur.

Mos hic fundendi nocturnas preces, sacrasq; vigilias peragendi, quàm religiosè, ac strenuè a Sanctis Patribus semper fuerit seruatus, facilè

qui

qui eorum vitas, ac gesta legerit, reperiet. Is non solùm Dauidis fuit, qui media nocte ad confitendum Domino se surgere consueuisse affirmat Psal. 62. Sed etiam Christi Domini, qui Euangelista Luca cap. 2. testante, *Erat pernoctans in oratione Dei*. Cur autem eo tempore quod quieti, ac somno potissimum tribuendum esse videtur, orationi insistendum suo exemplo Christus nos voluerit edoceri, causam afferunt SS. Hilarius, & Ambrosius, cladem scilicet ab exterminatore Ægyptijs illatam, nocturno tempore accidisse, quam qui vitare exoptat, non somno, non delicijs, non quieti totam, sed maximam partem meditationibus, vigilijs, precibus impendat, necesse est. Cur autem de nocte non vigilandum, cum tunc acriores Dæmonis insidiæ, illecebræ carnis vehementiores esse soleant, nullus spectator culpæ, nullus testis?

Neque caret mysterio, vt adnotauit Rabanus Maurus, quod Christus, suo nos voluerit exemplo ad orationes Deo fundendas, de nocte prouocare; futuros enim præuidebat hæreticos, quos Nictizontes græco vocabulo, idest Somniculosos, appellamus, qui dicerent perperam facere, ac peccare eos, qui noctem somno, ac quieti a Deo homini concessam aliud agendo consumerent. Hos, in Ecclesia laudabilis vsus,

ac perpetua consuetudo seruata per omnes ætates satis, superq; refellit, dum quotidie canit, *Nocte surgentes vigilemus omnes &c.*

Ad Maiolum redeo quem noctis plurimam partem precationibus, minimam somno dedisse, certum est. Neque prætereundum, quod Chronicon Cluniacense habet, Maioli precibus coæquatum terræ, atque complanatum locum quemdam excipiendis, continendisq; sordibus extructum, quo, nocturno maximè tempore, ne ad Ecclesiam quamdam sui iuris posset accedere, impediebatur. Sed illud admirabilius, quod cæco cuidam à natiuitate contigit, cui videndi cupiditate flagranti, per visum dictum est, si voti compos fieri vellet, Maiolum adiret, atque ea qua ad abluendas manus adhibuisset aqua, lauaret oculos, futurum procul dubio, vt optatam videret lucem. Paruit, nec mora, Sibrardum S. Abbatis famulũ adit, aquam impetrat; oculis admouet, videt, maximasq; in Dei, ac Maioli liberatoris laudes, effunditur. Maiolus verò, quã erat modestia, atq; humilitate, ad cœnodoxiam, vanamq; gloriam compescendam, iubet vtrisq;, ne cui dum viueret, factum hoc euulgarent; Sibrardus, quod contra quam iussus erat, veritatem hanc aperuisset, multis a Maiolo non solum verbis increpitus, sed alapa etiam grauiter fuit

percussus; Verebatur nimirum Maiolus, ne inani gloria, quæ veræ virtuti opponitur, fortasse inflatus, fructum honestæ actionis, qui solus spectandus est, amitteret; nihil enim magis cauendum est, quàm de benefactis intumescere, sibiq; quod Deo debetur, adscribere. Præclarè S. Augustinus. *Cætera (inquit) vitia in malefactis gaudent, superbia in benefactis, magisterq; ac suasor superbiæ diabolus serpens, statim obrepit, & mediis virtutibus sese interferit, vt in elationem, & arrogantiam inducat*. Nimium scilicet virtuti proxima arrogantia est, quam nisi quis sedula, verissimaq; demissione animi a se propellat, timẽdum quam maximè, ne sibi, quod Deo debetur, referat acceptum. Optimè itaquè Maiolus, qui, ne quid vel minimum cœnodoxiæ titillationis sentiret, Sibrardum, non verbis tantùm, verùm etiam verbere, sibi statuit etiam plectendum.

Addo superioribus, & hoc Papiæ gestum miraculum. Heldebrannus prædiues, ac Maioli familiaris, iam diutina febre correptus, eò deuenerat, vt macie deformatus, totiusq; corporis viribus destitutus, extremum iam sibi adesse spiritum formidaret; hominis sortem miseratus Maiolus, ipsum adit, bono animo esse iubet, sanctæ Crucis signum fronti eius impingit, in-

uocatoq; sanctissimo Iesu nomine saluum, incolumemque reddit. Atque, hoc est, quod ad euitandam quamcunq; inanis glorię suspicionem sancti, ac iusti homines, facere consueuerunt, vt scilicet praeclari, ac humanarum virium conditionem exsuperans quid aggressuri, facturiuè, sacrum viuificae Crucis signum adhiberent, illud pro comperto habentes, nihil esse tam imperuium, ac difficile, quod eius non concedat virtuti, quam Deus propè infinitam, esse voluit, ex quo, pro salute omnium ab eo pendere, mortemq; subire, non est dedignatus.

Papiae vrbis laudes; S. Petri in Caelo aureo iura Maiolus restituit. Reuocatur a suis in Galliam.

CAPVT IV.

INter praecipua Ticinensis Vrbis ornamenta, quae vel ad humanae gloriae, vel singularis magnificentiae ostentationem, in ea erexerunt, siuè Longobardi Reges, siuè Gallici, aut Germanici Imperatores, seu deniquè Mediolanensium Duces, non postremum locum obtinent

duo illa, a Luitprando olim Longobardorum Rege erecta, ænea scilicet Equestris statua, miro artificio, atquè opere celata, Antoninum Imperatorem, vel si quem alium, ad viuum exprimens, ex Rauennatensis Vrbis direptione, in nobilissimæ victoriæ argumentum ab ipso Rege Papiam translata, atquè in medio Vrbis foro, ad antiquitatis pretium pręcelsæ columnæ imposita. Secundum verò, templum augustissimum D. Petro Apostolorum Principi dicatum, quod; in Cęlo Aureo dictum, Rex ipse a fundamentis erexit: Cui adijcienda est Arca ex preciosissimo alabastrite confecta, multis circumquaquè elegantibus statuis ornata, quæ corpus S. Patris Augustini, quod idem Rex pijssimus magno precio a Barbaris redemptum, è Sardinia insula, Papiam transferri curauit, contegeret. Hoc quidem pietatis in Deum, illud verò militaris gloriæ, qua suprà cęteros suę gentis reges Luitprandus enituit, monimentum.

Difficilè autem dictu est, quam preciosam supellectilem, quot vasa aurea, atquè argentea, quot sacras vestes ad rem diuinam faciendam, quot ornamenta ad altaria vestienda, quot annuos redditus, quot prædia, vineas, agros in alimenta Canonicorum, & Sacerdotum, quos ad custodiam sacri illius corporis aduocarat, contulerit

tulerit. Illos reuereri, cum ijs longos de rebus ad salutem animæ spectantibus miscere sermones, Sacramenta ab ijs sumere, cum ijs nocturnas, diurnasquè preces in odęo fundere assueuerat. Audiendus est Petrus Oldradus Archiepiscopus Mediolanensis, qui epistola ad Carolum Magnum Imperatorem anno salutis 796. data, sic habet. *Dona autem, quæ pijssimus Rex Luitprandus Ecclesiæ B. Petri donauit, tàm in prædijs, & possessionibus, quàm in vasis aureis, & argenteis, & vestibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnem piorum, & catholicorum opinionem. Existimabat autem Rex ille se tantum non posse donare ministris, qui custodiebant corpus B. Patris, quod opinioni, ac voluntati suæ penitus satisfaceret. Et tanto gaudio ad corpus tanti viri receptum repletus est, quod die, ac nocte in hymnis, & canticis Dei, cũ Clericis, & Sacerdotibus in Ecclesia pernoctaret, & tanquam vnus de ministris in canticis Dei, & psalmodia se exerceret.* Hactenus ex litteris Archiepiscopi Mediolanensis, quas integras recitat Baronius tomo IX.

Quoniam verò à Luitprandi obitu, ad Maioli vsquè tempora, ducenti fermè anni intercesserant; ac non solùm ex tam longinqui temporis interiectu, quàm ex bellorum tumultu, quibus &

euer-

euerſum eſt Longobardorum regnum, & ipſa Vrbs Ticinum non ſemel a barbaris, & efferatis hoſtibus obſeſſa, direpta, atquè incenſa fuit, neceſſariò euenit, vt bona Eccleſiæ S. Petri in Cęlo Aureo, & priuilegia Canonicorum a Luitprando conceſſa, magna ex parte fuerint deperdita, & Canonicorum numerus, debitusq; Deo, ac Sancto Patri Auguſtino cultus, non leuiter imminutus. Sacerdotes ergò illi, atquè Canonici, qui ad diſtinctionem aliorum ordinum Canonicorum in dies emergentium honorifica nuncupatione Lateranenſes, fuerunt appellati à Lateranenſi S. Ioannis Eccleſia, quam deinde Romæ, Summorum Pontificum auctoritate tenuerunt, Maiolum conuenientes, quod omnia Papiæ eius nutu, ac voluntate regi animaduertebant, cum eo ſummis precibus agunt, velit eorum rebus proſpicere, antiqua iura, ac priuilegia renouare, Eccleſiam S. Petri, ac S. Patris Auguſtini priſtino ſplendori reſtituere, deperditum Dei cultum reparare.

Pergratum fuit Maiolo, oblatam ſibi occaſionem, de religioſis viris, quorum non exigua erant in Eccleſiam Catholicam merita, benè mereri. Quare cum Auguſta ità egit, vt, & quæ petierint, impetrarint, & priuilegia non reſtituta modò, verùm etiam ad aucta magis, atquè amplificata.

Dum

Dum hæc Papiæ geruntur, Maiolusq; quibuscumque potest artibus religionem promouere, pietatem excolere, cuncta ritè, ac laudabiliter exequi studet, afferuntur è Gallia litteræ a Cluniacensibus missæ, quibus ad reditum ad suos inuitatur; Nimis iam diù illum abesse, atquè in Italia commoratum, Patris, ac Pastoris orbitatem ferri vltra non posse; properaret itaquè, cum multa essent, quæ illius tùm præsentiam, tùm prudentiam postularent. Omnes ferè Galliæ Principes hoc expetere, ipsumquè regem Lotharium, cui multis nominibus vniuersa Cluniacensis Congregatio debebat. His lectis litteris, quamquam Papiæ diutius esse Maiolum & Augusta ipsa Imperatrix, & Ciuitas vniuersa apprimè cupiebat, quià tamen & iam florentem Ecclesiæ statum Papiæ Maiolus cernebat, & ratio Pastoralis muneris, vt proprias oues reuiseret, solareturquè, postulabat, profectionē propèdiem parat. Vnum hoc, illum mirum in modum angebat, quod Romam, vti sæpius optauerat, proficisci non poterat; illic enim, & ob nouas subindè pullulantes, ob frequentia schismata, discordias, Cluniacensium res in deterius labi, & Apostolicam Sedem à factiosis, improbisquè hominibus assiduè diuexari, audierat. Cęterùm, consilium hoc in aliud tempus differendum

rendum Galliarum rerum status exposcebat.

Nolim autem quisquam temerè existimet, Maiolum Pastoris munus non benè expleuisse, dum illum Cluniacensi Monasterio Galliarum relicto, modò Papiam, modò Romam, modò ad alia loca accedentem legit: nam licet innumera ex proprij Pastoris præsentia subditis oriantur commoda, vtilitatesquè, vt, quod eo præsente, diuinus cultus magis vigeat, subditi obseruantiores euadant, boni ad virtutem acrius inflammentur, mali à vitijs retrahantur, quando tamē iusta interuenit causa, vt abfit, laudandus potius, quàm reprehendendus est. Nec immeritò Seraphinis illis, quos antè Deum stantes, volantesq; intuitus est Propheta Euāgelicus Isaias cap. 6. similes quis dixerit pastores, curatoresq; animarum, quià nimirum nec semper lapidea stabilitate stare, nequè huc, illucq; discurrere semper debent, at modò quiescendo, modò visitādo munus suum strenuè obeūdum illis est, sagittæ, gladioq; comparati, qualem se Isaias cap. 49. a Deo efformatum gloriabatur, cum ait. *Posuit os meū Dominus quasi gladium acutum, & posuit me quasi sagittam electam &c.* Per gladium, qui cominus, per sagittam, quæ eminus ferit, pastoris tùm residentis, tùm visitantis officium designari quis non fateatur? Quin & animæ ipsi,

Dum hæc Papiæ geruntur, Maiolusq; quibuscumque potest artibus religionem promouere, pietatem explere, cuncta ritè, ac laudabiliter exequi studet, afferuntur è Gallia litteræ a Cluniacensibus missæ, quibus ad reditum ad suos inuitatur; Nimis iam diù illum abesse, atque in Italia commoratum, Patris, ac Pastoris orbitatem ferri vltrà non posse; properaret itaque, cum multa essent, quæ illius tùm præsentiam, tùm prudentiam postularent. Omnes ferè Galliæ Principes hoc expetere, ipsumque regem Lotharium, cui multis nominibus vniuersa Cluniacensis Congregatio debebat. His lectis litteris, quamquam Papiæ diutius esse Maioluꝫ & Augusta ipsa Imperatrix, & Ciuitas vniuersa apprimè cupiebat, quia tamen & iam florentem Ecclesiæ statum Papiæ Maiolus cernebat, & ratio Pastoralis muneris, vt proprias oues reuiseret, solareturque, postulabat, profectionē propèdiem parat. Vnum hoc, illum mirum in modum angebat, quod Romam, vti sæpius optauerat, proficisci non poterat, illic enim, & ob nouas subindè pullulantes, ob frequentia schismata, discordias, Cluniacensium res in deterius labi, & Apostolicam Sedem à factiosis, improbisquè hominibus, assiduè diuexari, audierat. Ceterùm, consilium hoc in aliud tempus differendum

rendum Galliarum rerum status exposcebat.

Nolim autem quisquam temerè existimet, Maiolum Pastoris munus non benè expleuisse, dum illum Cluniacensi Monasterio Galliarum relicto, modò Papiam, modò Romam, modò ad alia loca accedentem legit: nam licet innumera ex proprij Pastoris præsentia subditis orian-tur commoda, vtilitatesquè, vt, quod eo præsente, diuinus cultus magis vigeat, subditi obseruantiores euadant, boni ad virtutem acrius inflammentur, mali à vitijs retrahantur, quando tamē iusta interuenit causa, vt ab sit, laudandus potius, quàm reprehendendus est. Nec immeritò Seraphinis illis, quos antè Deum stantes, volantesq; intuitus est Propheta Euāgelicus Isaias cap. 6. similes quis dixerit pastores, curatoresq; animarum, quià nimirum nec semper lapidea stabilitate stare, nequè huc, illucq; discurrere semper debent, at modò quiescendò, modò visitādo munus suum strenuè obeūdum illis est, sagittæ, gladioq; comparati, qualem se Isaias cap. 49. a Deo efformatum gloriabatur, cum ait. *Posuit os meū Dominus quasi gladium acutum, & posuit me quasi sagittam electam &c.* Per gladium, qui cominus, per sagittam, quæ eminus ferit, pastoris tùm residentis, tùm visitantis officium designari quis non fateatur? Quin & animæ ipsi,

qua totum corpus vegetatur, ac tùm vicinæ, tùm dissitę eiusdem partes informantur, comparari docet S. Ambrosius lib. de Noe, & Arca, exemplumque Noè patriarchę in Arca residentis afferens, ait: *Qui velut incorporeus in media tantarum mutuum gubernaret.* Talem se S. Bernardus erga Claraualenses suos, quos viscera sua appellabat, fatebatur esse, cum ait; *Si vobis molesta est absentia mea, nemo dubitet mihi esse molestiorem. Tot me necesse est affici curis, quot vos estis, & ad singulos quosque vestrum dolere absentiam, timere pericula. Duplex ista contritio non me deseret, quousq; meis visceribus ego reddar.* Talem se ergà Cluniacenses suos exhibuisse Maiolum quis inficias ibit, quos pari cum Bernardo, imò maiori charitatis nexu fuit complexus?

Clu-

Cluniacum redit S. Dionisij Monasterium visitat, & quid illic ei contigerit.

CAPVT V.

MOlesta nimis Papiensibus videbatur Maioli discessio, tùm alias ob causas, tùm quia Petrus Ciuitatis Episcopus, vir Diuini, humaniq; iuris scientissimus aberat, Othonis II. Imperatoris Archicancellarius, qui posteà (vt dicetur) Benedicto VII. succedens, Pontifex maximus Ioannis XIV. nomine assumpto, est renunciatus; timebatur enim ne Episcopo, Maioloq; priuata Vrbs Papiensis, aliquid in rebus ad Dei cultum, animarumquè salutem necessarijs, detrimenti caperet. Atq; eò magis, quod Episcopus de rebus à Maiolo Papiæ gestis certior factus, ingentem ex eo lætitiam cæperat, sequè ac Ciuitatem eius precibus commendarat; indicta tamen profectionis die, comparatisquè omnibus ad abeundum necessarijs, bona cum Augustę Imperatricis venia, quæ eum amplissimo viatico, & comitatu est prosequuta,

omnium

omnium cum lacrymis, mutuiq; amoris significationibus, relictoq; sui apud omnes incredibili desiderio, Papia discessit.

Gallias vix fuerat ingressus, cum ardens illum cępit desiderium, antequàm Cluniacum accederet, Lotharium Regem de se, dequè vniuersa Cluniacensi congregatione optimè meritùm, inuisendi, Emmamq; reginam, Adelaidis Augustæ filiam, suo, matrisquè nomine salutandi, vtriquè fausta omnia ad precandi, tùm Ecclesiam, ac Monasterium S. Martyris Dionysij Areopagitæ, quem Apostolum Galliarum iure appellabat, quòd primus illic Sanctorum Petri, atquè Clementis iussu Euangelium prædicarit, inuisendi. Ecclesiam cum Monasterio huic martyri sacrà iuxtà Parisios Dagobertus, qui omnes ferè Galliç Ecclesias, aut refecit, aut extruxit, impensa verè regia a fundamentis exsuscitauit, argento texit, muneribus amplissimis decorauit, & sepeliēdis Galliæ regibus attribuit. In hoc igitur monasterio Maiolus, dùm quadam nocte post consuetas preces libros de cęlesti Hierarchia eiusdem S Martyris legeret, mirum quid ei contigit, quòd S. Odilo in eius vita sic recenset. *Cum esset (inquit) aliquando in Monasterio sanctissimi Martyris Dionysij, & pro consuetudine, nocturnis horis legeret eiusdem Martyris, & admi-*

admirabilis philosophi librum de Hierarchia cælesti, graui in eum incidente somno, cereus è manu eius in libri paginam decidit, & ecce rem stupendam, ignis natura suæ officium persequens illychnium, & ceram consumpsit paginam verò violare non est ausus; Ita S. Odilo.

Duplex hic ego agnosco miraculum, Martyri Dionysio alterum, Maiolo alterum assignandum: Hierarchicos Dionysij cælestes libros, Maiolumq; terrena hæc flamma nil læsit, quia nimirùm vbi cęlestis, atq; adeò superior ignis adest, inferior omnis abscedat, atq; euanescat, necesse est; sic enim Deus, quos caros habet tuetur, vt etiam dormientes nulli sint periculo obnoxij.

Atqui, mihi dum pertinaci adeò cura litteras amplexantem, sacrorumq; librorum lectioni etiam de nocte insistentem Maiolum considero, subit recordatio quæstionis olim mihi propositę, ab Iulio etiam Nigrono doctissimo viro agitatæ, conducat, nec ne, religioso viro, & christiano homini ad salutem animæ facilius assequendam, scientiarum cognitio, ac litterarum studiũ, cum maiores Ecclesia Catholica ex litteratis, quam ex illiteratis hominibus calamitates sit passa, & bona opera potiùs, ac mores, quàm litteræ, nos Deo concilient; Et verò, cum Paulo

Apostolo teste, *scientia inflet*, paucisq; litteris ad mentem bonam, vt ait Seneca, opus sit, mirari quemquam non decet, Sanctos viros, qui & celebritate nominis, & meritorum abundantia in Ecclesia floruerunt, parum de litteris fuisse sollicitos, toto autem pectore bonis operibus se dedidisse. Antonium Anachoretarum præstantissimum ob id potissimùm exhorruisse litteras tradit S. Athanasius in eius vita, quòd ad orationis fructum percipiendum, maximum sibi negotium facesserent, satisquè haberet monita salutaria commendare memoriæ, litteris reiectis. Confirmat hoc idem de eodem Antonio, Cassiodorus lib. 1. trip. hist. cum ait, *Litteras nequè sciebat, neq; mirabatur, sed potiùs mentem bonam antiquiorem litteris*. Antonium, præter alios sequutus est S. Benedictus Monasticæ disciplinæ in Occidente institutor, atquè auctor, de quo ità scribit S. Gregorius lib. 2. Dial. *Despectis itaquè litterarum studijs, relictâ domo, rebusquè patrijs, Soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus*, ità S. Gregorius. Atq; hos illos esse indoctos, quos exclamans in initio suæ conuersionis S. Augustinus rapere Cœlum dixit, fatendum est.

Quid? quod & Senis in Italia Iesuatorum Ordo a B. Ioanne Columbino institutus, per ducentos, & quinquaginta annos, ad hæc vsquè nostra tempora sine Sacerdotio; sine doctrina peruenit, sola rerum spiritualium scientia contentus, more maiorum Religiosorum, qui soli Deo contemplando, ac labore manuum victitando, operam dabant? Atq; hæc quidem, fateor, exempla, auctoritatesq; Sanctorum virorum, alicuius apud me ponderis essent, nisi validiora argumenta, verioresq; rationes in aliam me sententiam traherent, cogerentq; fateri doctrinam inscitiæ, litterarum studia, ignorantiæ, esse præponenda; si modò non quod ab hæreticis, scelestisquè hominibus fieri consueuit, qui more araneorum venenum, sed quòd a Catholicis, Deumq; timentibus, qui instar apum mel ex doctrinis, ac litterarum studijs hauriunt; studia ipsa excolantur. Maiolum mihi ad hanc dirimendam quæstionẽ, hoc loco sisto, cuius litterarum studia, quàm vtilia multis, quàm grata Deo extiterint, Angelorum ope accensa illi de nocte ad elucubrandum lumina, satis apertè indicant. Testatur hoc S. Odilo in eius vita, dum ait, *Nonnunquam candelæ, vel negligentia cubicularij, vel euectu aliquo ante eius lectum extinctæ diuinitus accensæ sunt, sicuti testantur, qui præsentes adfuerunt.*

Et benè Angeli dicuntur Maiolo suppeditasse, quo sacros lustraret libros noctis tempore, lumen, nam si virginitatis amantissimi sunt cœlestes illi Spiritus, cur Maiolo præstò esse non debuerunt, qui ab omni impuritatis labe semotam mentem, corpusq; ità seruauit, vt Angelicam potius, quàm humanam videretur in terris vitam agere, vti superius ex S. Odilone demonstratum est?

Quoniã verò ex tam assiduo Maioli studiorũ labore, propensaq; ad litteras voluntate obijci posset, cur non aliquod reliquerit ingenij, ac studiorum suorum testimonium, quod fecisse videmus Odonem, Odilonem, Vgonem, Petrum venerabilem, atq; alios Abbates Cluniacenses, quorum proprium esse videbatur proprij ingenij monimentis rem litterariam illustrare, huic tacitæ obiectioni Chronicon Cluniacense respõdens, ait, factum id, vel quia Maiolo tempus defuit, cum maximam diei partem in rebus magni momenti pertractandis insumeret, quodque dabatur lectioni id sibi de necessario noctis somno subtraheret, vel, quia quod scribere potuisset, in eius vitæ moribus, tamquam in exẽplari clarissimè legi, conspiciq; potuisset.

Cluniacũ adit Maiolus, honorificè excipitur. S. Romualdi in Galliam profectio. Ioannis XIV. quondã Episcopi Papiensis infelicissimus vitæ exitus.

CAPVT VI.

FAMA Cluniacum delata, aduenisse Maiolum in Galliam, salutatisq; Lothario Rege, atq; Emma, apud S. Dionysium pietatis, ac religionis ergò consedisse, missi statim ex primoribus Cluniacensis monasterij, qui eum, quo par erat honore, excipientes, Cluniacum quam primùm deducerent. Appropinquanti igitur illi extemplò omnes longo, compositoq; agmine obuiam effusi, incredibili cum gratulatione, ac mutui amoris, beneuolentiæq; significationibus ad agendum æterno Numini gratias pro fœlici, optatoq; reditu in templum deducunt. Inde Maiolus de monasterij, totiusq; Congregationis rebus edoctus, quæ pastoralis sui muneris propria erant, accuratius prosequi cœpit,

Si quid per incuriam omissum, si quid de regularis disciplinæ seueritate remissum, si quid immutatum, in priorem, melioremq; formam reuocare; nihil omittere, quod ad diuini cultus augmentum, vel ad animarum lucra, commodumq; spectaret. Accidit per id tempus, vt Romualdus, qui postmodum Camaldulensium institutor fuit, ex Italia in Aquitaniam non longè a Cluniacensi Cœnobio ad Heremiticam vitã, ac quoddam veluti Sacræ militiæ tyrocinium concederet, assumptis sibi socijs Petro Vrseolo, Ioanne Gradenico patritijs Venetis, Marinoq; Romualdi olim institutore, ex quibus Petrus Vrseolus relicto amplissimo patriæ Principatu, filio, coniuge, amicis, patria, affinibus, ac seculi pompis (raro in Principibus exemplo) pauperem hic præoptauit vitam, vt æternas sibi compararet diuitias. Hi omnes Duce Guarino notissimæ tunc sanctitatis anachoreta, exiguo sibi delecto cœnobiolo, quasi ex condicto viuentes, quod temporis, labore manuum comparandis sibi alimentis supererat, orationi, cœlestiumq; rerum meditationibus insumentes, diutissimè, vt tradit S. Petrus Damiani in vita S. Romualdi, ibi vitam traduxerunt. Visa est iterum hoc tempore Pietas, ac Religio quasi exsul ab Italia, vbi omnia sacrilegis factionibus,

discordijs, ac bellis funesta erant in Gallias concessisse, vt spiritualibus comparatis armis, confirmatisq; viribus, ex vmbra, ac puluere in apertum olim militaris solem rediret, Dei se furori tamquam murum oppositura, innumeros penè filios solitudinis amantes conciliatura Cœlo.

Maiolus interim, cum inter Othonem II. Imperatorem, ac Lotharium Regem eius Leuirum, atrocioris belli semina persentisceret, quòd Otho ob nonnullas quas sibi a Lothario irrogatas querebatur iniurias, Parisios vsquè infesto cum exercitu prædabundus processerat; post vtrinque datas, acceptasq; aliquot clades, agentibus Vuolphgango Ratisponensi Episcopo, ac Maiolo, pax est composita, sedatiq; animi.

Contigit autem sub idem ferme tempus, vt Benedicto Septimo Summo Pontifice è viuis sublato, Petrus Episcopus Papiensis, de quo superius dictum est, in eius locum, Ioannis XIV. nomine, subrogaretur. Erat is Othonis II. Imperatoris Archicancellarius, vt constat ex diplomate ab eodem Imperatore dato, concedente priuilegium Monasterio S. Vincentij ad fontes Vulturni. Hoc nuncio accepto Maiolus exiluit pene gaudio; conceperat enim spem fore, vt Ecclesiæ Catholicæ res, ob eximiam viri prudentiam, spectatamq; vitæ integritatem in-

melius tandem procederent. At, quàm fallaces sint hominum spes, quamq; occulta Dei iudicia, hic ipse, qui subsequitur Ioannis XIV. casus, documento erit. Dum enim Maiolus de amicissimi sibi hominis ad Summum Pontificatum euecti dignitate gaudet, eique per litteras gratulatur, Romamq; ad eum venerandum progredi in animo habet, inaudito, atq; horribili mortis genere necatum illum audit. Id, quo modo acciderit ex Baronio hic referre non pigebit. Dabit veniam lector, si tantisper ab historiæ orbita deflexero, cum summorum virorum huiusmodi casus, non sine quodam animi sensu, & admirabilitate legantur.

Bonifacius (inquit Baronius tom. 10.) *nefandus Apostolicæ Sedis inuasor, qui, vt dictum est, necato Pontifice, & expilata Basilica Vaticana, fugerat Constantinopolim, vbi res innouatas accepisset, decessisse nimirum Benedictum VII. qui eum Sede expulerat, & Othonem Imperatorem etiam defunctum, cuius patrocinio fauebatur, qui Benedicto successerat Ioannes Papa, Romam iterum Sedem inuasurus rediit suorum studiis roboratus, vt, quam reliquerat Petri Cathedram, occuparet. Venit scelerarus, atq; sacrilegus, suorumq; factione potens, quem sedentem in Pontificio throno Ioannem inuenit,*

inde violentus exturbauit, vinculisq; alligatum detrusit in Sancti Angeli munitionem, qua detinebatur à suis, vbi quatuor detentum mensibus, fame perire miserum tandem truculentus prædo coëgit, duorum Pontificum crudelissimus interfector, inuasamq; iterum Petri Cathedrā, proh nefas? tenuit tyrannus mensibus quatuor, qui, nec pilum habuisse dici potest Romani Pontificis, siue spectes ingressum, siue progressum, resq; ab eo gestas, consideres. Vndè parum consulunt veritati, minusq; pietati, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitati, qui hunc inter Romanos Pontifices referunt. Annumerandum potius inter famosos latrones, & potentissimos grassatores, atquè patriæ proditores, Syllas, & Catilinas, horumq; similes, quos omnes superauit sacrilegas iste turpissima nece duorum Pontificum. Ioannes igitur necatus proditur, ne quid sperarent amplius, qui erant partium Imperatoris, exponiturq; extinctus spectandus omnibus pro foribus munitionis. Mirandum planè, lugendum omnibus spectaculum tunc exhibitum intuentibus Romanis Ciuibus cadaueris ipsa macie conclamante, fame extinctum ipsum Ioannem Pontificem. Hæc Baronius.

At debita non caruisse pœna sacrilegum Bonifacium, idem Baronius ex veteri codice Romanorum Pontificum demonstrat, nam repen-

tina morte percussum asserit, tantoq; & à suis odio fuisse habitum, vt corpus eius ignominiosissimè per pedes raptatum, lanceisq; confossũ, indignum sepulturæ honore iudicarint, inhumatumq; ante statuam M. Aurelij Antonini nudato corpore proiectum, reliquerint. Gesta hæc fuerunt anno salutis 985. Cum Maiolus audita Ioannis, ac Leonis morte, sicuti varijs animi agitatus est motibus, ità Diuina Iudicia cuiq; extimescenda, atq; admiranda, prædicauit.

Per hoc fermè tempus accidit, vt diuino monitu Maiolus, corpora S. Hildeuerti Episcopi Meldensis, atq; Adelberti, quem mortuum ad vitam reuocarat, obscuro in loco reperta, aliò transferret, decentiq;, vt par erat, loculo collocaret;

Testatur hoc Ioannes Parisiensis in Memoriali historiarum, his verbis;

Sancti Hildeuerti Episcopi Meldensis corpus, & Adelberti quoq; quem suscitauerat, S. Maiolus Abbas diuina reuelatione de terra leuauit.

Lotharij

Lotharij Regis, & Ludouici eius filij obitus, Vgo Capetes in Regem eligitur; eiusdem in Maiolum amor, & reuerentia.

CAPVT VII.

ATQVE ea quidem, quæ superiori capite recensita sunt, in Italia, atq; in ipsa vrbe vrbium Roma, quæ caput religionis est, aspera nimis, credituq; difficilia gerebantur, cum Maiolus in Gallia, Cluniaci abditus placando cælesti Numini, supernorumq; meditationibus intentus, non solùm ex integro, sed etiam ampliori cum fœnore sibi, suisq; restitutus esse videbatur. Lotharius interim Francorum Rex post tricesimum, & vnum Regni sui annum vitæ cessit, hęrede regni relicto Ludouico filio, quem Comiti Parisiensi Vgoni Capeto, cuius plurimum fidei, ac virtuti confidebat, commendauit. Grauis omninò tanti regis mors Maiolo accidit, quem beneficentissimum ergà se, vniuersamq; Cluniacensem Congregationem fuerat expertus; At

luctuo-

luctuosior Emmæ reginæ eius coniugi fuit, quæ doloris impatiens, mœrorisq; se plus nimio trãdens, acerbissimam sibi vitam absquè marito existimabat. Quare ad matrem Adelaidem Augustam, & ad Maiolum dedit litteras mœstitiæ plenissimas: Eas litteras Papirius Maso antiquitatis studiosissimus inter epistolas Gerberti ad Principes viros datas, nuper edi curauit, quas etiam recitat Baronius tomo IX. suorum Annalium.

At in maiorem creuit Reginæ mœror, cum anno sequenti orbata est Ludouico filio, quem vnicum habebat, viditq; Francorum Regnum in alienam translatum familiam. Franci namq; Carolo Lotharij fratre repudiato, quòd nimiùm esset Principibus Germaniæ addictus, malèque apud ipsos audiret, vt ex Gerberti litteris tradit Papirius Maso, Vgonem Capetem, Vgonis magni filium militari laude clarissimum, Regem sibi dicunt. Benè autem Vgonis in Regem electio Maiolo cessit, qui nullum ex superioribus Galliæ regibus amiciorem, atque ergà se reuerentiorem habuit. Testatur hoc S. Odilo dum in vita S. Maioli sic habet. *Vgo quoque Gallorum Rex quotiès illum vidit, humiliter, ac deuotè eum suscepit, & valdè honorificè eum tractauit.* ita S. Odilo. Peculiare autem, ac proprium

prium Gallorum Regum semper fuit hominibus sanctitate vitæ conspicuis deferre plurimum, eorum preces ad æternum placandum Numen exposcere, monita, atq; consilia amplecti, sibi eos beneficijs deuincire, fauoribusq; conciliare. Quid? quod ex hac perpetua, ac numquam intermissa cum sanctis viris consuetudine, sanctos Reges Gallia parere didicit, Gontrannum, Carolum Magnum, Ludouicum IX. in Sanctorum numerum ab Ecclesia relatos? Et verò non magis armis, quàm pietate, ac religione regna, atq; imperia firmantur, qua sublata, corruant necessè est, funditusq; extirpentur. Ac, ne longius exempla petantur, Carolum Lotharij fratrem à possessione Regni Gallorum reiectū *Baronius* prodit, à quo Regnum in Vgonem, quemadmodum à Saule in Dauidem, fuit translatum, ob eam præcipuè causam, quia neglectis Maioli consilijs, spretaque religione, ac pietate, omnia sibi licere, etiam in Ecclesijs, temerè asseuerabat, sic enim ait Baronius.

Captus est ab Vgone Carolus, & penitus ex stemmatis eius ramo cessauit regnum Francorū. Tunc penitus excisum, cùm hæresis pullulare cœpit, qua dicerent Caroli studiosi omnia licere Carolo, etiam in Ecclesijs; Sicq;, eo vsquè sunt tolerata à Deo peccata regum illius stemmatis,

quan-

quandiù ea non sunt defensa, vt iure facta, vbi verò cœperunt obstinatè defendi, vt error sit deputata iustitia, & inde hæresis oriri cœperit, tunc ira Dei effusa est super Principes, & præcisum est regnum ab eo, & datum ipsius æmulo & de Saul translatum in Dauid. ita Baronius.

At è contrà, Vgo a pietate, ac religione ordiri, vt sibi, Robertoq; filio (qui deinde inter laudatissimos Principes connumeratus est) stabiliretur regnum, optimum duxit. Nam præterquàm quod Maiolum, aliosq; Sanctos viros tunc viuentes coluit, ac veneratus est, Ecclesiarum honorem vbiq; per omnes sui regni partes sartum tectum cõseruauit, auxitq;. Quod tunc maximè præstitit, cum Maiolo facultatem tribuit, vt monasterium S. Mauri Fossatensis inuiseret, atq; ad seueriorem viuendi normam ex prçscripto regulę a S. Patre Benedicto traditę, reuocaret, vt patet ex vita Buchardi Comitis Parisiensis, ab Odone monacho eiusdem monasterij, qui floruit anno 1058 conscripta, cui cęnobio præfecit Teutonem Cluniacensem spectatę probitatis monachum, ac Rex ipse Vgo munera amplissima contulit, ditauitq; censu verè regio.

Sed illud in hoc Vgone eminet maximè, quod ergà Sedem Apostolicam mirum quantum propensus fuit; quòd tum antiquæ Francorum Regum

gum consuetudini, tum Maioli hortationibus, atq; consilijs proculdubiò tribuendum est.

Huisce rei testimonium, seriemq; ego ab instituto meo non alienam breuiter attingam. Depulerat à Rhemensi Sede Rex Vgo Arnulphum Archiepiscopum, Lotharij ex illegitimo concubitu filium proditionis falsò crimine insimulatum, quod portas vrbis Rhemensis Carolo, Lotharij Regis fratri, cum quo de Regni possessione Vgo certabat, aperuisset, ad eamquè dignitatem Gerbertum virum doctissimum Roberti filij sui præceptorem, qui deinde ex Archiepiscopo Rauennatensi ab Othone III. Imperatore Pontifex Maximus creatus Siluester secundus dictus est, extulerat. Re ad Pontificem Maximum Ioannem XV. delata, Gerbertum deijci, restituiq; in suam Sedem Arnulphum mandauit, interdixitq; sacris, anathematiq; subiecit Episcopos omnes, qui in gratiam Vgonis sententiam contrà Arnulphum in Synodo Syluanectensi tulissent; Gerbertus quasi æstro quodam, atq; furore ob deiectionem percitus, multa temerè in Pontificem, ac Sedem Romanam effutijt, multa ad amicos pro causæ suæ defensione, præsertim ad Maiolum, & ad Othonem perscripsit. Extant adhuc litteræ a Papirio Masonio collectæ, atquè editæ, duobus libris comprehensæ,

quanti

quanti autem Gerbertus Maiolum faceret, quãtumque eius tùm sanctitati, tùm doctrinæ, ac prudentiæ tribueret, Epist. 81. ostendit de quo sic habet. *Nos quidem venerabili Abbati Maiolo super his pauca perscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere, scimus.*

Libet hic epistolam eiusdem Gerberti ad Maiolum attexere, quam Papirius Massonius septuagesimam in ordine, tanquam eruditionis Gerberti, atq; antiquitatis testimonium, edi curauit.

MAIOLO VENERABILI Abbati Cluniacensi.

Girbertus.

ETsi vigilanti cura super vestros grege assiduè occupati estis, propensioris est tamẽ charitatis si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis cœnobij propter reuerentiam sancti Patris Benedicti summum lacum pœnes monachos, (vt aiunt) *peruasor occupauit. Si vos tacetis, quis loquetur? Hoc incorrecto, qui improbus similia non sperabit? Nos quidem hæc zelo diuini amoris dicimus, &, vt nostro examine si probus est, recipiatur, si improbus, omnium Abbatum, ac monastici ordinis societate ad pœnam suæ damnationis, priuetur. Quod vobis ratum literis vestris nobis fiet acceptissum.*

Rex

Rex autem Vgo multis ad Romanum Pontificem missis legationibus, ac litteris, quod audierat valdè illum ob facti temoritatem esse commotum, Maioli hortatu, atquè consilio suppliciter placare contendit, subijciensquè se, suosquè Sanctæ Sedis iudicio, quæcunquè fuissent in causa Arnulphi Synodalia decreta definita ab ipso aboleri, atquè irrita reddi passus est.

Quinam fuerit Gerbertus, qui & Siluester Secundus, & vita eius in Pontificatu à calumnijs vindicata.

CAPVT VIII.

ABbatum Cluniacensium dignitas nominisque celebritas tantam sibi apud omnes Christiani Orbis Principes semper conciliauit reuerentiam, atq; existimationem, nihil vt ferè magni momenti in Christiana Republica agitaretur, nulla paullò magis ardua negotia exurgerent in quibus eorum industria, dexteritasq; non adhiberetur; ac præter alios, Odo, atque

Maiolus se se mihi obijciunt, quorum vterquè, vt vidimus, non solùm a Regibus, ac Principibus, sed etiam a Summis Pontificibus magnis fuerunt negotijs adhibiti, summo in honore habiti, maximisq; priuilegijs, fauoribusq; decorati. Verba autem illa S. Odilonis, qui in vita S. Maioli de ipso ait. *Honorabant illum Summi Pontifices &c.* admonent me, vt paullò diligentius inquiram, quinam fuerint illi Summi Pontifices, qui eum honorarint. Ac, licet ea fuerit sancti huius Abbatis vitæ integritas, ac innocentia, vt omnium sibi Summorum Pontificum, per ea tempora viuentium amorem demeruerit, Ioannem tamen XIV. Episcopum prius Papiensem, cuius infęlicissimum vitæ exitum suprà vidimus, & Siluestrum Secundum, Gerbertum anteà vocatum, qui illum arctiori beneuolentiæ vinculo prę cęteris sint complexi, reperio. Siluestrum quidem, non cum Summus Pontifex esset, (Maiolus enim quatuor antè annos, quàm Siluester Romanus Pontifex fieret ex hac vita migrarat, vt ex Baronio, & Claudio Roberto constat;) sed, aut cum priuatus Othonis tertij, aut Roberti Vgonis filij præceptor esset, aut certè, dùm Rhemensem, aut Rauennatensem Archiepiscopatum administraret; Quia verò non defuerunt ex antiquis scriptoribus, qui Sil-

strum

uestrum hunc non solùm probris, atque calumnijs onerarint, verùm etiam ex albo Summorũ Pontificum, tamquam illegitimè promotum, atque immeritum abraserint, rem me facturum non improbandam existimaui, si B. Maioli amicissimum hominem, de scientiarum omnium cognitione optimè meritum, ac legitimum S. Petri successorem, ab imperitorum figmentis, maledicorumque mendacijs, quantum in me est, vindicauero.

Atquè, vt facilius veritas ipsa elucescat, explodenda mihi prius est, penitusq; confutanda fabula quædam mendacissima, a Bernone pseudo Cardinale, & schismatico inuenta, qui Gregoriũ VII. optimum, ac sanctissimum Pontificem, a quo fuerat simoniæ labe insimulatus, maledictis proscindere non contentus, idem etiam malignitatis, ac nequitiæ virus, in Siluestrum, aliosq; Pontifices euomuerat. Bernonem sequutus est Martinus Polonus, quem Robertus Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis nimię simplicitatis arguit, vt, & Honophrius Panuinius in Platina adnotauit, qui, & miratur illius temporis Scriptores, adeò fuisse socordes, vt nullum in re tanti ponderis eruendæ veritati studium adhibuerint.

Quid enim fabulosius, aut a verò alienius es-

se potest quam Siluestrum reiecto, quem in Monasterio Floriacensi S. Benedicti induerat habitu, Hispalim in Hispaniam profectum, illic magicas artes, præstigia, atque incantationes a mago quodam didicisse, librum qui teterrimam illam artem edoceret, furto a præceptore sustulisse, fuga sibi salutem quæsisse, insequentem magum dœmonis ope elusisse. In Gallias profectum, scholas aperuisse, ad quem audiendum nobilissimi quique accesserint. Romam delatum subterraneos thesauros noctu in Campo Martio effodisse, ingentem pecuniæ vim in expiscandis ecclesiasticis dignitatibus impendisse. Rhemensem, ac Rauennatensem Archiepiscopatus per fraudem, ac largitiones occupasse. Magicis artibus Romanum Pontificem esse factum. Eam dignitatem vt obtineret, animam diabolo deuouisse, a quo cum quæsisset quandiù in pontificatu esset victurus, responsum de more ab efferato exactore ambiguum tulerit, huiusmodi, *Diù, nisi Hyerusalem attigeris*. Quo responso, cum diu se victurum crederet, in ecclesia S. Crucis in Hyerusalem, quæ Romæ est, dum sacrum Missæ sacrificium perageret, ingenti a Dœmonibus strepitu excitato, cognouisse propediem se esse moriturum, pęnitentia itaquè ductum publicè peccata sua fuisse confessum, iussisseque,

fiſſeque, vt corpus ſuum membratim conciſum, plauſtroque impoſitum ab indomitis equis traheretur: deuectum autem ad Lateranenſem Baſilicam, ibique ſepultum. Mirum autem ex eo accidere, vt ex colliſione oſſium ipſius, atque humectatione ſepulchri, obitus Romani Pontificis mox futurus, certiſſimè præſagiatur.

Quis hic tam vecors, & amens, vt fidem tam palmari mendacio præſtare poſſit? Baronius, nunquam ſine præfatione publicæ laudis nominandus, hanc falſitatis fabulam in numero earum reponendam docet; quas vetulæ rotantes fuſum ſimplicibus ſolent narrare puellis ad lucernæ lumen, ne dormiant, eiuſdemq; omninò ponderis hanc eſſe exiſtimat cum ea, quæ de Ioanna Papiſſa ab indoctis, ac nebulonibus circunfertur; niſi quod illam leuitas excogitauit, hanc nequitia. Audiẽdus eſt Ditmarus optimus, ac grauiſſimus ſcriptor, qui ſub Silueſtri Pontificatu vixit. Hic de Silueſtro ſic habet: *Gerbertus* (hoc enim nomine ante Papatum appellabatur) *natus de occiduis regionibus, à puero liberali arte nutritus, & ad vltimum Rhemorum vrbem ad regendum promotus, optimè callebat aſtrorum curſus diſcernere, & contemporales ſuos variæ artis notitia ſuperare. Hic tandem a finibus ſuis expulſus Othonem adijt Imperato-*

 rem

rem &c. Helgaldus Monachus Floriacensis, qui summa fide scripsit vitam Roberti Regis Vgonis filij, de Gerberto sic loquitur. *Is quippè Gerbertus pro maximo suæ sapientiæ merito, qua toto radiabat in Mundo, donatiuo regis Vgonis munere Pontificium adeptus Rhemense, non multis annis illud ordinauit splēdidè in his quæ forēt necessaria Ecclesiæ Sāctæ. Eo namq; derelicto Rauennatium factus est rector ab Othone tertio, de quo ad Apostolatum Petri Apostoli Sanctissimi festinus conscendens, multa in eo virtutum operatus est insignia, & præcipuè in eleæmosina sancta, quam fortiter tenuit, dum fideliter vixit. Inter cætera de se lætus, & hilaris ità in R. littera lusit.*

Scādit ab R., Gerbertus ad R., fit Papa vigēs R.

Hoc apertè demonstrans, quòd hi tres Episcopatus honores, quos professione regularis vitæ S. Benedicti monachus factus suscepit, rexit, tenuit huius R. litteræ signo in capite sunt declarati. Hæc Helgaldus. Ex quibus quidem testimonijs satis, vt puto, per se ruit fabulosum de Gerberto figmentum, nulla fultum verisimilitudine, nedum veritate.

Ammonius Guillelmus Bibliothecarius lib. 5. cap. 46. refert, Siluestrum secundum doctissimum fuisse mathematicum, insignem Philoso-

phum

phum, rethoremquè egregium, monachum ex Floriacensi Cœnobio, qui propter insignem doctrinam, primum Archiepiscopus Rhemensis, deinde ab Othone tertio Imperatore Archiepiscopus Rauennas, demum Papa creatus, quod etiam recentiores omnes scriptores referunt, sed quoniam pauci admodum in Occidente erant, qui philosophiæ, ac mathematicæ operam darent, si quis in ijs facultatibus excelleret, ab imperito statim vulgo tanquam veneficus, ac magus habebatur. Sepulchralis inscriptio Siluestri secundi tumulo, a Sergio Pontifice eius successore apposita, digna, vt ait Baronius, quouis laudatissimi nominis Pontifice, planè arguit, tam probroso vitæ exitu summum Pontificem non potuisse tali elogio commendari, eo præsertim in loco, vbi hæc fieri contigissent. Quòd autem ad Siluestri laudem maximè facit, Baronij auctoritas est, qui ait, cultorem illum fuisse Sanctorum virorum tunc viuentium, nimirum S. Maioli Cluniacensis Abbatis, & Euerardi æquæ magnæ sanctitatis viri, & aliorum eodem nomine tunc florentium, cupidumq; fuisse monasticæ obseruantiæ, malorum verò acerrimum correctorem.

Extant varia Siluestri ingenij monimenta a doctis viris maximè commendata, vt de Geo-

metria; de Arithmetica, de Sphœra, de compositione astrolabij, Dialogus inter ipsum, & Leonem nuncium Apostolicum; volumen item Epistolarum ad Othonem tertium Imperatorem, & Robertum Francorum Regem, aliosq; præstantissimos viros multiplici eruditione refertarum, inter quas 70. 81. & 83. ad B. Maiolum Abbatem Cluniacensem. Quare satis mirari non possum Platinam Vitarum Summorum Pontificum scriptorem, adeò fœdè cæcutijsse, vt neglecta grauium auctorum luce, inanis fabulæ, tenebras ab homine schismatico per summam inuidiam perfusas, fuerit amplexatus. Papirius Maso diligentissimus antiquitatis indagator, qui Epistolas Gerberti edendas curauit, Siluestrum Secundum in numero laudatorum Pontificum asseueranter reponit.

Quodq; magis æstimandum est Cardinalis ipse Bellarminus veritatis amantissimus in sua Chronologia, de Siluestro Secundo sic habet, *De hoc Siluestro, multa fabulantur aliqui, sed verè fuit vir magnus, doctus, & pius, vt ex inscriptione sepulchri, quæ extat in Ecclesia Lateranensi cognosci potest.* Sed ad Maiolum reuertamur.

Maio-

Maiolus tertiò in Italiam venit. Leprosum in itinere sanat.

CAPVT IX.

QVod in Chronico Cluniacensi dicitur, Maiolum nemini suo tempore in scientiarum omnium cognitione secundum, nihil omninò scripsisse, quia fortasse tempus non habuit, cum cęteri Cluniacenses Abbates peculiari scribendi dono fuerint insignes, verissimum id esse fatebitur, qui ad Maioli assiduas occupationes inspexerit, perpetuaq; itinera per Italiam, Galliamquè ferè omnem, ad propagandam spiritualem sobolem, conciliandamq; Deo. Nisi fortasse, ac verius dicere libeat, nihil illum scripsisse, quod, quæ scribi ab eo poterant, satis superquè tanquam in speculo in eius præclarè gestis repræsentabantur. Certè, cur iam tertiò in Italiam venerit, causæ id fuit, ex Petro Damiani, vt in celebri S. Pauli cęnobio in demortui locum Abbatem substitueret, atquè ex itinere Adelaidem Augustam Papię adhuc commorantem à qua expectabatur inuiseret, Papiensesquè Ciues aspectu suo recrearet, in eaquè, quam à se didice-

quanti autem Gerbertus Maiolum faceret, quantumquè eius tùm sanctitati, tùm doctrinæ, ac prudentiæ tribueret, Epist. 81. ostendit de quo sic habet. *Nos quidem Venerabili Abbati Maiolo super his pauca perscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere, scimus.*

Libet hic epistolam eiusdem Gerberti ad Maiolum attexere, quam Papirius Masonius septuagesimam in ordine, tanquam eruditionis Gerberti, atq; antiquitatis testimonium, edi curauit.

MAIOLO VENERABILI

Abbati Cluniacensi.

Girbertus.

ETsi vigilanti cura super vestros grege assiduè occupati estis, propensioris est tamè charitatis si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis cœnobij propter reuerentiam sancti Patris Benedicti summum lacum pœnes monachos, (vt aiunt) *peruasor occupauit. Si vos taceetis, quis loquetur? Hoc incorrecto; qui improbus similia non sperabit? Nos quidem hæc zelo diuini amoris dicimus, & , vt nostro examine si probus est, recipiatur, si improbus, omnium Abbatum, ac monastici ordinis societate ad pœnam suæ damnationis, priuetur. Quod vobis ratum literis vestris nobis fiet acceptissum.*

Rex

item Vgo multis ad Romanum Pontifi-
issis legationibus, ac litteris, quod audie-
dè illum ob facti temoritatem esse com-
, Maioli hortatu, atquè consilio suppli-
acare contendit, subijciensquè se, suos
nctæ Sedis iudicio, quæcunquè fuissent
a Arnulphi Synodalia decreta definita
aboleri, atquè irrita reddi passus est.

...m fuerit Gerbertus, qui & Sil-
...ter Secundus, & vita eius in
Pontificatu à calumnijs
vindicata.

CAPVT VIII.

...batum Cluniacensium dignitas nominis-
...ue celebritas tantam sibi apud omnes
...ni Orbis Principes semper conciliauit
...tiam, atq; existimationem, nihil vt ferè
...nomenti in Christiana Republica agi-
..., nulla paullò magis ardua negotia ex-
...t in quibus eorum industria, dexteritasq;
...iberetur, ac præter alios, Odo, atque

Maiolus se se mihi obijciunt, quorum vterque, vt vidimus, non solùm a Regibus, ac Principibus, sed etiam a Summis Pontificibus magnis fuerunt negotijs adhibiti, summo in honore habiti, maximisq; priuilegijs, fauoribusq; decorati. Verba autem illa S. Odilonis, qui in vita S. Maioli de ipso ait. *Honorabant illum Summi Pontifices &c.* admonent me, vt paullò diligentius inquiram, quinam fuerint illi Summi Pontifices, qui eum honorarint. Ac, licet ea fuerit sancti huius Abbatis vitæ integritas, ac innocentia, vt omnium sibi Summorum Pontificum, per ea tempora viuentium amorem demeruerit, Ioannem tamen XIV. Episcopum prius Papiensem, cuius infęlicissimum vitæ exitum suprà vidimus, & Siluestrum Secundum, Gerbertum anteà vocatum, qui illum arctiori beneuolentiæ vinculo prę cęteris sint complexi, reperio. Siluestrum quidem, non cum Summus Pontifex esset, (Maiolus enim quatuor ante annos, quam Siluester Romanus Pontifex fieret, ex hac vita migrarat, vt ex Baronio, & Claudio Roberto constat;) sed, aut cùm priuatus Othonis tertij, aut Roberti Vgonis filij præceptor esset, aut certè, dùm Rhemensem, aut Rauennatensem Archiepiscopatum administraret; Quia verò non defuerunt ex antiquis scriptoribus, qui Sil-

ueſtrum hunc non ſolùm probris, atque calumnijs onerarint, verùm etiam ex albo Summorũ Pontificum, tamquam illegitimè promotum, atque immeritum abraſerint, rem me facturum non improbandam exiſtimaui, ſi B. Maioli amiciſſimum hominem, de ſcientiarum omnium cognitione optimè meritum, ac legitimum S. Petri ſucceſſorem, ab imperitorum figmentis, maledicorumque mendacijs, quantum in me eſt, vindicauero.

Atquè, vt facilius veritas ipſa eluceſcat, explodenda mihi prius eſt, penitusq; confutanda fabula quædam mendaciſſima, a Bernone pſeudo Cardinale, & ſchiſmatico inuenta, qui Gregoriũ VII. optimum, ac ſanctiſſimum Pontificem, a quo fuerat ſimoniæ labe inſimulatus, maledictis proſcindere non contentus, idem etiam malignitatis, ac nequitiæ virus, in Silueſtrum, aliosq; Pontifices euomuerat. Bernonem ſequutus eſt Martinus Polonus, quem Robertus Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis nimię ſimplicitatis arguit, vt, & Honophrius Panuinius in Platina adnotauit, qui, & miratur illius temporis Scriptores, adeò fuiſſe ſocordes, vt nullum in re tanti ponderis eruendæ veritati ſtudium adhibuerint.

Quid enim fabuloſius, aut a verò alienius eſ-

se potest quam Siluestrum reiecto, quem in Monasterio Floriacensi S. Benedicti induerat habitu, Hispalim in Hispaniam profectum, illic magicas artes, præstigia, atque incantationes a mago quodam didicisse, librum qui teterrimam illam artem edoceret, furto a præceptore sustulisse, fuga sibi salutem quæsisse, insequentem magum dœmonis ope elusisse. In Gallias profectum, scholas aperuisse, ad quem audiendum nobilissimi quique accesserint. Romam delatum subterraneos thesauros noctu in Campo Martio effodisse, ingentem pecuniæ vim in expiscandis ecclesiasticis dignitatibus impendisse. Rhemensem, ac Rauennatensem Archiepiscopatus per fraudem, ac largitiones occupasse. Magicis artibus Romanum Pontificem esse factum. Eam dignitatem vt obtineret, animam diabolo deuouisse, a quo cum quæsisset quandiù in pontificatu esset victurus, responsum de more ab efferato exactore ambiguum tulerit, huiusmodi, *Diù, nisi Hyerusalem attigeris.* Quo responso, cum diu se victurum crederet, in ecclesia S. Crucis in Hyerusalem, quæ Romæ est, dum sacrum Missæ sacrificium perageret, ingenti a Dœmonibus strepitu excitato, cognouisse propediem se esse moriturum, pœnitentia itaquè ductum publicè peccata sua fuisse confessum, ius-

sisseque,

fiſſeque, vt corpus ſuum membratim conciſum, plauſtroque impoſitum ab indomitis equis traheretur: deuectum autem ad Lateranenſem Baſilicam, ibique ſepultum. Mirum autem ex eo accidere, vt ex colliſione oſſium ipſius, atque humectatione ſepulchri, obitus Romani Pontificis mox futurus, certiſſimè præſagiatur.

Quis hic tam vecors, & amens, vt fidem tam palmari mendacio præſtare poſſit? Baronius, nunquam ſine præfatione publicæ laudis nominandus, hanc falſitatis fabulam in numero earum reponendam docet; quas vetulæ rotantes fuſum ſimplicibus ſolent narrare puellis ad lucernæ lumen, ne dormiant, eiuſdemq; omninò ponderis hanc eſſe exiſtimat cum ea, quæ de Ioanna Papiſſa ab indoctis, ac nebulonibus circunfertur, niſi quod illam leuitas excogitauit, hanc nequitia. Audiēdus eſt Ditmarus optimus, ac grauiſſimus ſcriptor, qui ſub Silueſtri Pontificatu vixit. Hic de Silueſtro ſic habet: *Gerbertus* (hoc enim nomine ante Papatum appellabatur) *natus de occiduis regionibus, a puero liberali arte nutritus, & ad vltimum Rhemorum vrbem ad regendum promotus, optimè callebat aſtrorum curſus diſcernere, & contemporales ſuos variæ artis notitia ſuperare. Hic tandem a finibus ſuis expulſus Othonem adijt Imperato-*

rem &c. Helgaldus Monachus Floriacensis, qui summa fide scripsit vitam Roberti Regis Vgonis filij, de Gerberto sic loquitur. *Is quippè Gerbertus pro maximo suæ Sapientiæ merito, qua toto radiabat in Mundo, donatiuo regis Vgonis munere Pontificium adeptus Rhemense, non multis annis illud ordinauit splẽdidè in his quæ forẽt necessaria Ecclesiæ Sãctæ. Eo namq; derelicto Rauennatium factus est rector ab Othone tertio, de quo ad Apostolatum Petri Apostoli Sanctissimi festinus conscendens, multa in eo virtutum operatus est insignia, & præcipuè in eleæmosina sancta, quam fortiter tenuit, dum fideliter vixit. Inter cætera de se lætus, & hilaris ità in R. littera lusit.*

Scãdit ab R., Gerbertus ad R., fit Papa vigẽs R.

Hoc apertè demonstrans, quòd hi tres Episcopatus honores, quos professione regularis vitæ S. Benedicti monachus factus suscepit, rexit, tenuit huius R. litteræ signo in capite sunt declarati. Hæc Helgaldus. Ex quibus quidem testimonijs satis, vt puto, per se ruit fabulosum de Gerberto figmentum, nulla fultum verisimilitudine, nedum veritate.

Ammonius Guillelmus Bibliothecarius lib. 5. cap. 46. refert, Siluestrum secundum doctissimum fuisse mathematicum, insignem Philoso-

phum, rethoremque egregium, monachum ex Floriacensi Cœnobio, qui propter insignem doctrinam, primum Archiepiscopus Rhemensis, deinde ab Othone tertio Imperatore Archiepiscopus Rauennas, demum Papa creatus, quod etiam recentiores omnes scriptores referunt, sed quoniam pauci admodum in Occidente erant, qui philosophiæ, ac mathematicæ operam darent, si quis in ijs facultatibus excelleret, ab imperito statim vulgo tanquam veneficus, ac magus habebatur. Sepulchralis inscriptio Siluestri secundi tumulo, a Sergio Pontifice eius successore apposita, digna, vt ait Baronius, quouis laudatissimi nominis Pontifice, planè arguit, tam probroso vitæ exitu summum Pontificem non potuisse tali elogio commendari, eo præsertim in loco, vbi hæc fieri contigissent. Quod autem ad Siluestri laudem maximè facit, Baronij auctoritas est, qui ait, cultorem illum fuisse Sanctorum virorum tunc viuentium, nimirum S. Maioli Cluniacensis Abbatis, & Euerardi æquæ magnæ sanctitatis viri, & aliorum eodem nomine tunc florentium, cupidumq; fuisse monasticæ obseruantiæ, malorum verò acerrimum correctorem.

Extant varia Siluestri ingenij monimenta a doctis viris maximè commendata, vt de Geo-

metria, de Arithmetica, de Sphœra, de compositione astrolabij, Dialogus inter ipsum, & Leonem nuncium Apostolicum; volumen item Epistolarum ad Othonem tertium Imperatorem, & Robertum Francorum Regem, aliosq; præstantissimos viros multiplici eruditione refertarum, inter quas 70. 81. & 88. ad B. Maiolum Abbatem Cluniacensem. Quare satis mirari non possum Platinam Vitarum Summorum Pontificum scriptorem, adeò fœdè cæcutijsse, vt neglecta grauium auctorum luce, inanis fabulæ, tenebras ab homine schismatico per summam inuidiam perfusas, fuerit amplexatus. Papirius Maso diligentissimus antiquitatis indagator, qui Epistolas Gerberti edendas curauit, Siluestrum Secundum in numero laudatorum Pontificum asseueranter reponit.

Quodq; magis æstimandum est Cardinalis ipse Bellarminus veritatis amantissimus in sua Chronologia, de Siluestro Secundo, sic habet, *De hoc Siluestro, multa fabulatur aliqui, sed verè fuit vir magnus, doctus, & pius, vt ex inscriptione sepulchri, quæ extat in Ecclesia Lateranensi cognosci potest.* Sed ad Maiolum reuertamur.

Maiolus tertiò in Italiam venit. Leprosum in itinere sanat.

CAPVT. IX.

QVod in Chronico Cluniacensi dicitur, Maiolum nemini suo tempore in scientiarum omnium cognitione secundum, nihil omninò scripsisse, quia fortasse tempus non habuit, cum cęteri Cluniacenses Abbates peculiari scribendi dono fuerint insignes, verissimum id esse fatebitur, qui ad Maioli assiduas occupationes inspexerit, perpetuaq; itinera per Italiam, Galliamquè ferè omnem, ad propagandam spiritualem sobolem, conciliandamq; Deo. Nisi fortasse, ac verius dicere libeat, nihil illum scripsisse, quod, quæ scribi ab eo poterant, satis superquè tanquam in speculo in eius præclarè gestis repræsentabantur. Certè, cur iam tertiò in Italiam venerit, causæ id fuit, ex Petro Damiani, vt in celebri S. Pauli cęnobio in demortui locum Abbatem substitueret, atquè ex itinere, Adelaidem Augustam Papię adhuc commorantem à qua expectabatur inuiseret, Papiensesquè Ciues aspectu suo recrearet, in eaquè, quam à se didice-

didicerant benè, atq; ex pietate viuendi ratione stabiliret, Comparatis igitur quæ ad proficiscendum necessaria erant, delectoq; qui se absente in Cluniacensi Monasterio vicariam vicem obiret, in ipso discessionis procinctu res accidit, omnibus qui aderant, ac Maiolo in primis magnoperè molesta, quamquam non ita multo post, in miraculum cessit. Rem vti se se habuit ex S. Petri Damiani Epist. 14. ad Desid. Abb. verbis hic referre non pigebit. *Vir itaque Domini* (inquit) *venturus aliquando Romam præcepit cuidam fratri, vt secum pergeret, quia sicut rogatus fuerat, cum in Monasterio Sancti Pauli Priorem constituere decreuisset, ille verò nonnulla difficultatis obstacula reluctatus opposuit, & modò hoc, modò illud; tandem obstinatus obedire contempsit. Maiolus autem inobedientiam fratris æquanimiter tulit, eoq; relicto, itinere quod decreuerat, commeauit. Cumq; frater in Monasterio per inobedientiam remansisset; & reliqui fratres in eum vehementer inueherent, ac tam obstinatæ duritiæ pertinaciam vnanimiter increparent; tandem ad cor reuersus, aduersus propriam voluntatem in arma congreditur, salutaris obedientiæ telis accingitur, & mox supernæ gratiæ feruore succensus, beati viri vestigia perniciter comitatur. Sed, dum ille nescius cœpto itinere graditur, hic*

verò

verò post eum festinanter accelerat, & anxius ac repentinus anhelat, mox ad quemdam fluuium peruenit, cuius vir Domini iam vada transierat, & super ripam adhuc alteram consistebat. Cum itaq; monachus in interiori se fluminis crepidine figeret, quoniam absente nauigio transitum non haberet, videns procul adstare magistrum, quod solùm potuit, præstò corruens in terram se humiliter strauit, & quia veniam deprecans per oris organum fortè non posset audire clamorem, de toto corpore linguam fecit; quem prestò vir Dei ad quid venisset, inquirit. At ille simul, & de præteritis veniam deprecatur, & impleturum se de cæteris quidquid iniungeret, pollicetur. Tunc ille, vis, inquit, absquè dubio pœnitentiam? Quò respondente. Volo; protinus addidit. Huic igitur osculum præbe. Nam casu tuberosæ cutis illic leprosus adstabat. Ille confestim in eius osculum ruit, moxquè lepra mundati corporis prorsus euanuit. Sic sancta obedientia fructum suæ humilitatis inuenit, dummodo veniam se corrigendo promeruit, sed & signum insuper tam perspicuæ virtutis ostendit, & cui superbia pœnè potuit apostaticam inferre perniciem, humilitas dedit apostolicam exhibere virtutem. Ità Petrus Damiani. Hoc nimirum præclarum illud germen est, quod ex radice humilitatis, obedientiæq; Maioli pullulare

debe-

debebat, vt ex eodem Petro Damiani cap. x. lib. 1. ostendimus.

Annus erat a Christi natali nongentesimus nonagesimus cũ Maiolus ex Gallia in Italiã venit, paucosq; dies Papiæ cõmoratus, dũ Adelaidẽ Augustam salutat, Papiensibusq; ciuibus benè precatur, Romam adijt, quo item anno iterum Romam ex Germania venit Adelbertus Pragensis Episcopus, qui relicto Episcopatu propter Boemorum peruicaciam, in S. Bonifacij monasterio, quod tunc Cluniacensis iurisdictionis erat, vbi quinquennium ante manserat, quinquennium alterum expleturus, se continuit, vt scilicet tamquam strenuus Christi pugil, in illa spirituali palestra se exerceret, in Vngaricos posthmodum excursurus campos, ad subdendos Christi imperio indomitos illos populos, suoq; sanguine eius Ecclesiæ prima semina irriganda, vnde meritò Vngarorum Apostolus, quod illic primus Euangelij lucem intulerit, audiret. Erat nimirum S. Bonifacij Romę monasterium, quod & S. Alexij in monte Auentino est, asylum, ac perfugium, &, vt ait Baronius, Sanctorum Colonia, vbi, qui ijs temporibns floruere sanctitate viri celebres, habitarunt, non solùm, Latini, sed etiam Græci, inter quos maximè enitebat Leo Abbas, qui a Ioanne XV. Summo Pontifice

missus

missus in Gallias ad Syluanectense Concilium in causa Arnulphi Archiepiscopi Rhemensis, ac Gerberti contrà fas,& leges Ecclesiasticas fauore Vgonis Regis in locum Arnulphi suffecti, tãta eloquentia, tantoq; diuini honoris zelo in Gerbertum inaniter se extollentem, Romæquè nullum esse, qui sciret litteras blatterantem, inuectus est, vt eius,& audaciam fregerit, & elinguem reddiderit, Apostolicisq; præceptis parere, compulerit. Præstat hoc loco tanti viri elogium a Baronio allatum hic referre, vt quales S. Patris Benedicti Sacer Ordo viros protulerit, certò ab omnibus sciatur. Is ergò tomo x. sic habet. *Leo, Apostolicæ Sedis Legatus, Abbas Monasterij S. Bonifacij in Vrbe tecum dißerens quaneumlibet propriam causam agente Archiepiscopatus Rhemensis, quem possidebas iniustè feruentissimus disputator existens te reddidit prorsus elinguem, & vinculis fortissimorum enthimematum vinctum, etiam te Sacerdotalibus vestibus, quas malè indueras, spoliauit. Tuo didicisti tunc damno, si, qui sunt Romæ, litteras scirent; quanta illum oportuit imbutum eße scientia, cum non aduersus te solùm dimicans, sed aduersum omnes Episcopos, qui huic priori Synodo Rhemensi interfuerunt, & Canonum plaustra in eamdem synodum inuexerunt, disputans, vt omnes potentissimè confutaret? qua dicendi*

tendi eum oportuit esse præditum arte, qui tot Episcopos palinodiam cogeret recantare; a sententia regis diuelleret, & in suã volentes, atque consentientes adduceret? Sanè quidem haud erat viri nõ doctissimi, tanta præstare. Hæc Baronius.

Porrò optandum hic esset, vt, quæ Maiolus Romæ, in Monasterio S. Pauli, & S. Bonifacij Cluniacensium præclarè gessit mihi innotescerent, cum maior pars eorum, quæ de tanto viro dici possent, temporum iniuria deperierint, Sanè S. Odilo refert a multis, qui ea ætate vixerunt carmine & soluta oratione res a Maiolo gestas fuisse conscriptas, quæ si extarent, labor mihi fuisset ereptus, eas carptim hinc inde colligendi ad prælum. Illud quidem pro certò affirmandum est, Maiolum Romæ, sicut & alibi, semper sui similem ea gessisse, quæ & Ioannem Summum Pontificem, Romanosq; vniuersos in sui admirationem traxerint.

Finis Libri secundi.

De Vita, & rebus gestis
S. MAIOLI
ABBATIS CLVNIACENSIS CONGREGAT. SOMASCHÆ TITVLARIS.
LIBER TERTIVS.

CLVNIACVM, ROMA MAIOLVS reuertitur; à Saracenis in itinere capitur; miracula in captiuitate edit. Tribulationum vtilitas, ac necessitas demonstratur.

CAPVT I.

DVOS iam posuerat annos Maiolus in Italia, quibus Cluniacensium suorum res, tùm quæ ad diuinum cultum, tùm, quæ ad vitam ritè componendam pertinent, tàm è sententia Romæ compositas animaduertit, vt regre-

regredi in Galliam, quo fesso iam annis, laboribusq; corpori quietem daret, constitueret. Bona igitur cum Summi Pontificis venia, nec sine suorum lacrymis Roma excedens; vix Italiæ fines attigerat, cum in Sarracænorum manus, qui omnia longè, latèque populabantur, vastitatemq; Prouincijs inferebant, incidit, a quibus vt per summam iniuriam fuerit in summa montium cacumina abstractus, ferreis nexibus constrictus, asperaq; custodia detentus; donec Cluniacensis Monasterij pecunia redimeretur, Chronicon Cluniacense sic refert.

Sarracænis, ex Hispania Prouincias omnes, Italiam maximè populantibus, monasteria, vrbes, vicosq; subuertentibus, nulliquc sexui parcentibus, obuiam venit B. Maiolus ab Apostolorum liminibus reuertens, à quibus captus, expoliatus, vinculisq; alligatus, fame, sitique afflictus, in carceremque trusus fuit, sed diuinitus absolutus, pecuniaque monasterij redemptus, ex eorum manibus illæsus euasit. Ità Chronicon Cluniacense.

Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis vicinus eorum temporum lib. 1. cap. 4. suæ historiæ refert Angelos, Maiolo, cum ei libitum esset, compedes ferreos, vt liberè posset in Dei laudibus se exercere, soluisse, quod tamen omnes,

nes, dum vixit, præter Gotzonum Monachum, qui cum ipso constrictus erat, ad euitandum cęnodoxiæ periculum, latere voluit. Illudque scitu dignissimum, quod Sarracęnus quidam cęteris petulantior, librum Euangeliorum a Maiolo per vim abstrahere, pede premere, conculcareque ausus, paullò post exorto inter eos tumultu, cruentaque rixa, eodem truncatus pede, quo sacrum Maioli codicem presserat, temeritatis suæ pœnas exsoluit; verum vt fateri necesse sit, *Per quæ quis peccat, per eadem, & torqueri.* Quo ex tempore, quoniam scelestis etiam, impijsque hominibus virtus est, per se ipsa amabilis, Sarracænorum multi ergà Maiolum reuerentiores esse cœperunt.

Addendum tamen & hoc, quod dum suos ad patienter, æquanimiterquè ferendam calamitatem illam hortaretur, asseueranterquè affirmaret, se cum omnibus suis fore propediem liberandum, ea res Sarracænos aliquos ità perculit, irritauitquè, vt, & arctiori catenarum nexu illũ constrinxerint, compedesq; ferreos duplicarint. Quodquè intolerabilis audaciæ, temeritatisquè indicium est, ausus est quidam impia, sacrilegaquè manu alapam in Maioli faciem impingere. Hoc indignissimè ferēs vnus è famulis B. Patris, Raibertus nomine, remque adeò fędam lacry-

mis, gemitibusquè prosequens, omnium in se, qui aderant, Sarracænorum rabiem, furoremq; concitauit. Quare, vnus ex ijs, Raibertum hasta, quam præ manibus habebat, transfigere conatus, Maioli dexteram, quam ad excipiendum porrexerat ictum, graui vulnere affecit. At verò Deus, vt sibi gratum illud charitatis officiũ demonstraret, sequenti die Maioli manu pristinæ reddita sanitati, cicatricem tantùm, diuinæ indicem clementiæ, semper extare voluit.

Has inter constitutus angustias Maiolus, vt tandem ex ijs quoquo modo eriperetur, ad Cluniacenses pro sui, sociorumque redemptione litteras dedit, quas integras, licet perbreues, Glaber Rodulphus recitat in hunc modum.

DOMINIS, ET FF. CLVNIACENSIBVS Frater Maiolus, miser, & captus. S.

Torrentes Belial circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Per hunc, rogo, si placet, prò me, & his, qui mecum sunt capti, redemptionem mittite. Valete.

His acceptis litteris Cluniacenses, viciniquè populi, quanta fuerint ob tantam S. Patris calamitatem tristitia affecti, quantoquè studio pecunias pro eius liberatione collegerint, Chronicon Cluniacense demonstrat, dum ait: *Pro*

eiusdem

eiusdem S. Patris redemptione gratis, voluntariéquè vnusquisq; prout poterat, suum habere offerebat, & miserum se clamabat, & indignum amore B. Viri dicebat, qui pro eius redemptione pluriora non transmisisset dona. Ità Chronicon Cluniacense. Missa itaquè pecunia, eaq; accepta, Sarracæni discedunt, quos omnes Vuillelmus Aquitanorum Dux inopinatò adortus, inter montium angustias ad vnum cecidit, Maiolus liber, incolumisquè cum socijs Cluniacum reuertitur. Hanc Maioli liberationem Chronicon Cluniacense sic recenset.

Sanctus Vir Domini Maiolus post longi sudoris labores, post deuictum ipsius tentationis, & afflictionis caminum, probatus, & electus ab illa montium summitate, quo transductus fuerat, descendit cum suis omnibus. Ad nobile autem Cluniacense Monasterium amicum salutis, & Monasticæ religionis tetendit, multamq; lætitiam suis omnibus reddidit, vbi coadunata omnis Monasticæ religionis numerositas pro recepta B. Patris præsentia, magnas Omnipotenti Deo reddidit gratias. Ità Chronicon Cluniacense.

Hanc iniustam, immanemq; Maioli a Sarracenis captionem, æquo, ac forti animo, vt decebat, ab eo toleratam, si quis attentius perpen-

dat, veriſſimum eſſe cogetur fateri, quod vnũ omnium Sanctorum Patrum ore cantatiſſimum eſt, afflictiones, atquè ærumnas a Deo immiſſas, eſſe amoris, quo animas complectitur, argumentum, vndè, & verè a Paulo ad Hebræos dicitur. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Nequè enim certius ſignum ſalutis, atquè electionis ad gloriam, dari cuiquam a Deo poteſt, quàm aduerſitatibus diuexari. Probè Sanctus Auguſtinus qui verum hoc eſſe ſciebat *Para te* (inquit) *flagellari, aut certè non quæras recipi, ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Quaſi filij non mereatur nomen, qui corripi, ac flagellari a Deo renuit. Cur autem non conſtanti, ac libenti animo ferantur moleſtiæ, atq; afflictiones tùm animæ, tùm corporis, cum eas ad noſtræ menſuram virtutis non ſolùm immittat Deus, vt aduertit S. Paulus illis verbis. *Fidelis Deus, qui non patitur nos tentari ſuprà id quod poſſumus, ſed facit cum tentatione prouentum*; verùm etiam quod mirabilius eſt, nobiſcum quodammodò adſit, participemquè ſe earum, quas pro eo patimur, ærumnarũ faciat? Teſtem, diuina Sapientia cap. 10. caſtiſſimum Ioſeph ob pudicitiam ſeruandam ab Ægypti Rege in vincula coniectum, aduocat, dum ait,

Deſcen-

Descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Quod si *Socrates*, vt Seneca, ad Heluilam scribens, ait, *carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus, neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Quanto verius hoc de vinculis, atq; carceribus dici poterit, in quos vel ob fidei constantiam, vel ob virtutis alicuius probationem coniecti, qui a Deo per molestias, atquè afflictationes probantur, Deum merentur habere socium, atqué participem ærumnarum? S. Cyprianus Martyr ad Martyres scribens, appellat carcerẽ beatum, in quem detrusi fuerant, dum ait: *O beatum carcerem, quem illustrauit vestra præsentia! O tenebras, sole ipso lucidiores, vbi constituta sunt Dei Templa!* Maiolum iure hac in serie adnumerandum facilè adducetur, vt credat, qui miracula circà ipsum in eius captione a Deo patrata fuerit contemplatus, quiquè eius tùm patientiam, tùm constantiam, in perferendis tot malis, quod genus martyrij est, expenderit, *Sine ferro enim Martyres esse possumus*, vt ait Isidorus, *si patientiam veritatis in animo seruamus.*

Maiolo Abbati sanctissimo Hyeronimum Æmilianum parentem, conditoremq; Congregationis nostræ non absimilem fuisse dixerim,

qui non quidem pecunia, sed insigni, eoquè memorabili, Beatæ Mariæ Virginis, quam piè aduocarat, miraculo, è dura custodia vbi ferreis nexibus, ad efferatorum hostium satiandam rabiem vinctus detinebatur, liberatus, quanti pro assequenda sanctitatis gloria momenti sit, torqueri ærumnis, flagellisq; diuexari, exploratissimum toti Christiano Orbi præbuit argumentũ: Eius vitam cum elegantissime 4. libris cõprehensam Augustinus Turtura noster ediderit, plura hic adnotare, abs re sit.

Ac licet aliquorum sit opinio, afflictiones, quæ ex causis naturalibus, aut liberis, absque peculiari Dei vltione promanant, vt sunt ægritudines, pestes, bella, fames, ac etiam quidquid aduersi ab hominibus patimur, siue iustè, vt a Iudice, siue iniustè, vt ab hoste, non esse satisfactorias, nisi secundùm proportionem, & quantitatem actus patientiæ, quo eas ferimus, peculiares verò, quæ singulari prouidentia diuinitùs nobis infliguntur ad peccatorum expiationem, & quandam veluti redemptionem eius pœnæ, quæ foret alioqui in altera vita luenda, non solùm secundum proportionem actus patientiæ, sed etiam secundùm quantitatem, & proportionem earumdem afflictionum, vel etiam per se ipsas esse satisfactorias, tamen cum Concilium

Tri-

Tridentinum sess. 14. cap. 8. definiat non modò nos satisfacere pęnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam temporarijs flagellis a Deo inflictis, & a nobis æquanimiter, patienterq; toleratis, absolutè dicendum est, omnes tribulationes, aduersitatesq; ab extrinsecò illatas, quæcumque ille sint, si modò prompto, libentiq; animo propter Deum in pęnam peccatorum suscipiantur, esse satisfactorias, pęnamque debitam culpę delere, non solùm secundùm quantitatem, ac proportionem patientiæ, sed absolutè per se, &, vt Scholastici loquuntur, formaliter, vt communis est benè sentientium sententia. Cuius quidem tractationis argumentum luculenter satis, & copiosissimè hac nostra ætate Paulus Aresius Episcopus Derthonesis, vir singularis pietatis, & doctrinæ, deq; omni litteratura optimè meritus, disputauit.

Ab Vgone Rege Galliæ Maiolus accersitur. In itinere Siluiniaci diem claudit extremum.

CAPVT II.

Meditationem mortis esse optimum sapiētiæ, veræq; philosophiæ argumentum,

ac veluti pedagogum, quo homines a recto viuendi itinere aberrantes in veræ salutis semitā reuocantur, omnium est benè sentientium sententia; *Nihil enim magis animum ad seipsum aduocat*, (vt ait Cicero Tuscul. qq. lib. 2.) *quam commemoratio mortis*, quam vbiq; expectandam Seneca ad Lucillum docet, quare, & Paulus Apostolus Quotidie se mori Corinthijs fatebatur, hoc est, adeò semper paratus erat mori, ac si eo die, mortem esset obiturus. Maiolum Paulo non dissimilem dixerim, qui non mortem tantùm, verùm etiam mortis caussam, sibi cauēdam, pertimescendamq;, semper existimauit. Qui enim Maioli anteactæ vitæ rationes benè expenderit, non illum temerè vixisse, sed meditatione mortis, tamquam freno ad cohibendos rebelles animi motus, vitamq; rectè componendam, vsum esse reperiet. Id si vmquam anteà, in hoc vltimo ætatis suæ termino egregiè præstitit, acrioribus enim dum se per momenta singula ad hanc veram comparandam philosophiam stimulis vrget, Vgo Gallorum rex, quē cum Roberto filio Maiolo semper plurimum detulisse superius demonstratum est, illum ad se Parisios, quo iam iam collabentem in monasterio S. Dionysij regularem disciplinam restitueret, vocauit. Qui amicissimo Regi morem

gerens,

gerens, ordinatis, quæ ad Cluniacensis monasterij commodum opportuna videbantur, ingenti cum omnium, qui aderant mæstitia, quasi quod futurum erat, præsagirent, Cluniaco discessit. Cæterùm Syluiniacum tantùm delatus, morbo statim graui correptus, cum se ex eo certò moriturum intelligeret, vocatum ad se Odilonem, quem a puero secum in monastica disciplina studiosissimè educarat, successorem in Cluniacensi administratione designauit. Mox, ad cœlestis, æternæq; vitæ compendiariam assequendam viam conuersus, elutis, si quæ per incuriam subrepserant animæ sordibus, defixis in Christi Domini de Cruce pendentis imaginem oculis, sacroq; ad supremam cum hoste teterrimo ineundam luctam, perunctus oleo, lętus mortem, an vitam dicam? præstolabatur. Mirum autem est, quod de eo Cluniacense Chronicon habet. *In fine dierum suorum non caligauerunt oculi eius, non auditus obsurduit, sed totus integer sensu, & animo, vitam suam disciplinis cœlestibus occupabat, vndè interrogatus a discipulis suis in hora suæ mortis in quo doleret, respondit, nihil sentire doloris, sed totis medullis ad Deum fontem viuum sitire, & anhelare.* Ita Chronicon Cluniacense.

Hac igitur animi, corporisqs alacritate, dum se Cœlo

se Cœlo Maiolus comparat, nullisq; , quo minus obeat, detinetur impedimentis, adstantibus, qui sacras precationes pro eo Diuino Numini, cælitibusq; funderent fratribus, amicisq; , dum ea pronunciarentur verba, *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli* ; ab Angelis, quorum puritatem in terris fuerat æmulatus, impollutus eius spiritus, intra Beatarum mentium agmina, in Cęlo est receptus, cum Cluniacensi Congregationi quadraginta ipsos præfuisset annos, septuagenario maior ; Neq; mysterio caret, quòd in diem quæ Ascensionem Domini subsequuta est, fęlix eius inciderit mors, nam vt ait S. Odilo. Hoc ideò factum est, vt eum Christus qua itur ad Cœlum viam, doceret, ita enim habet. *Cum Syluiniacum peruenisset B. Maiolus Deo vocante, plenus dierum, & sanctitatis ex hac vita migrauit, v. Idus Maij, sexta feria illucescente post sanctissimam solemnitatem qua Christus ascendit in Cœlum, & fideli seruo suo Maiolo post se scandendi viam ostēdit*. Ita S. Odilo.

Euulgata B. Maioli morte, mirum, quam ingens mortalium numerus Syluiniacum confluxerit, quot lacrymis decoratum funus, quot miracula ad tumulum præstita. Auget admirationem, quòd Rex ipse Vgo, & Robertus filius, cum primoribus Galliæ proceribus audita Ma-

ioli

ioli morte, Syluiniacum extempló aduolauit, questusq; palam se optimo patre, præsidioq; in regno administrando priuatum, non indignum regia Maiestate censuit, in maximum reuerētię, atque amoris argumentum, funus ad Ecclesiam comitari, tumulumq; regia munificentia; amplissimisq; ditare donis. Testatur hoc S. Odilo his verbis. *Quod vbi comperit Vgo Rex sua præsentia, & regijs muneribus eius exequias cohonestauit, & tumulum, vbi præstante Domino multa facta sunt, & fiunt miracula; permultisquè plurima, & præstita sunt, & præstantur beneficia, quæ præ nimia, & magnitudine, & multitudine commemorari non possunt.* Hactenus S. Odilo.

Hoc autem Christianissimi Regis pio, veræquè humanitatis perillustri facto, exploditur aspera nimis, caninaquè eorum Philosophia, qui mortuorum exequias, sepulturæquè honorem despicientes: pro nihilo ducunt, inhumata, prorsusquè abiecta iacere humana corpora, quorum in numero Mæcenas ille, tot poetarum carminibus celebratus, censendus est, cuius illud circumfertur hemistichium.

Nec tumulum curo, sepelit Natura relictos. excusandus fortasse, quod gentilitatis inuolutus tenebris, veram, quæ apud nostrates æstimatur sapien-

se Cœlo Maiolus comparat, nullisq; , quo minus obeat, detinetur impedimentis, adstantibus, qui sacras precationes pro eo Diuino Numini, cælitibusq; funderent fratribus, amicisq; , dum ea pronunciarentur verba, *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli* ; ab Angelis, quorum puritatem in terris fuerat æmulatus, impollutus eius spiritus, intra Beatarum mentium agmina, in Cęlo est receptus, cum Cluniacensi Congregationi quadraginta ipsos præfuisset annos, septuagenario maior ; Neq; mysterio caret, quòd in diem quæ Ascensionem Domini subsequuta est, fęlix eius inciderit mors, nam vt ait S. Odilo. Hoc ideò factum est, vt eum Christus qua itur ad Cœlum viam, doceret, ita enim habet. *Cum Syluiniacum peruenisset B. Maiolus Deo vocante, plenus dierum, & sanctitatis ex hac vita migrauit, v. Idus Maij, sexta feria illucescente post sanctissimam solemnitatem qua Christus ascendit in Cœlum, & fideli seruo suo Maiolo post se scandendi viam ostēdit.* Ita S. Odilo.

Euulgata B. Maioli morte, mirum, quam ingens mortalium numerus Syluiniacum confluxerit, quot lacrymis decoratum funus, quot miracula ad tumulum præstita. Auget admirationem, quòd Rex ipse Vgo, & Robertus filius, cum primoribus Galliæ proceribus audita Ma-

ioli

ioli morte, Syluiniacum extemplò aduolauit, questusq; palam se optimo patre, præsidioq; in regno administrando priuatum, non indignum regia Maiestate censuit, in maximum reuerētię, atque amoris argumentum, funus ad Ecclesiam comitari, tumulumq; regia munificentia, amplissimisq; ditare donis. Testatur hoc S. Odilo his verbis. *Quod vbi comperit Vgo Rex sua præsentia, & regijs muneribus eius exequias cohonestauit, & tumulum, vbi præstante Domino multa facta sunt, & fiunt miracula; permultisquè plurima, & præstita sunt, & præstantur beneficia, quæ præ nimia, & magnitudine, & multitudine commemorari non possunt.* Hactenus S. Odilo.

Hoc autem Christianissimi Regis pio, veræquè humanitatis perillustri facto, exploditur aspera nimis, caninaquè eorum Philosophia, qui mortuorum exequias, sepulturæquè honorem despicientes: pro nihilo ducunt, inhumata, prorsusquè abiecta iacere humana corpora, quorum in numero Mæcenas ille, tot poetarum carminibus celebratus, censendus est, cuius illud circumfertur hemistichium.

Nec tumulum curo, sepelit Natura relictos: excusandus fortasse, quod gentilitatis inuolutus tenebris, veram, quæ apud nostrates æstimatur

V 2 sapien-

sapientiam, aut non assecutus est, aut despexit. Certè si res ipsa seriò perpendatur, naturæ ipsius ductu hominem humo, de qua sumptus est tegi, quasiq; præcariò acceptam viliorem sui partem, terræ dari debere, iudicabit. Quarè humanitati, ipsiquè naturæ aduersari censendi sunt; qui mortuorum sepulchra funera, atquè exequias aspernantur, hominemquè ad imaginem Dei factum, relinqui debere inhumatum, discerpendum auium, belluarumquè morsibus pro nihilo ducunt, quò potissimum nomine conqueritur Dauid, Sanctorū corpora malè tractari, cū ait psal. 78. *Posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus Cœli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ, &c.*

Audiendæ sacrorum librorum voces, quibus non solùm defunctorum corpora humanda, verùm etiam quò sepelienda sint, modus, quotquè dierum planctus protrahendus, demonstratur. Ecclesiasticus enim 38. ait. *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, vno die, vel duobus, propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicē &c.* Consilium igitur sapientis est, amicorum, affiniumquè mortem, esse lacrymis, non tamen

nimijs

nimijs prosequendam, abstinendumquè ab eiulatu, ab affectatis clamoribus, qui Christianum virum non decent. A tunsione pectoris, à laceratione crinium, a terræ deiectione, ne dicam ab incisione membrorum, quæ lanceolis, gladiolisq; ab antiquis fiebat, quòd facere prohibebantur Hebræi, quibus a Domino per Prophetam dicitur. *Super mortuo non incidetis carnes vestras, neq; figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Qui verò mos apud Hebræos in propinquorum morte seruandus esset, a contrario sensu cognosci potest, ex eo, quod Dominus Ezechieli cap. 24. præcepit, ne faceret, dicens. *Ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorũ in plaga, & nõ planges, neq; fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens; mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes &c.* Quæ quidem verba proculdubiò ea omnia indicant, quæ fieri ab ijs, qui mortuis parentarent, consueuissent. Porrò, sepulturæ vsum ab Abraham traxisse originem, qui primus post Orbem conditum a filijs Heth, in possessionem monumenti agrum emisse legitur Genes. 23. patet. In eo, ipse, Saram vxorem, ipsum autem, Isaac, & Ismael filij, sepelierunt. Ibi etiam sepultos

fuisse

fuisse Isaac, & Iacob, ipsosquè primos nostros Parentes Adam, atquè Euam, testatur Durandus lib. 1. ration. cap. 5. num. 11. Quem morem sepeliendi mortuos ab Hebræis, ad Christianos trãsisse, notauit Marcellus Megallius vir doctissimus tom. 1. Promptuarij Theologici, ex Baron, in suis annal. sub annum Christi 226. Persis, atquè Ægyptijs domi mortuos sepelijsse mos fuit, Romanis, nè quidẽ intrà Vrbis mœnia, nisi fortasse eorumdẽ crematorũ cineres, inferrentur; Massagetæ, ac Scythæ vita functos propinquos ipsi consumebant, belluarum certè, non hominum more. Apud Hebræos mortuorum corpora, vnguentis delibuta, aromatibusquè, casia, cynamomo, aloè, balsamoquè condita, maiorum suorum sepulchris condebantur. Sanè Sanctissimum Christi Domini Nostri Corpus a Nicodemo nobili viro centum libris aloes fuisse sepulturæ datum, tradunt Euangelistæ, cuius sepulchri gloriam præuidens Propheta dixit: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Hanc gloriam, cum Sanctorum sepulchris communem fatebitur, qui donaria, imagines, icunculas, tabellas, ad ipsorum reliquias tholo appensas, tanquam victoriarum, ac triumphorum ab ipsis relatorum, beneficiorumque in nos collatorum testes, fuerit contemplatus. Maiolum hac laude non

pri-

priuabit, qui Siluiniaci illius sacras reliquias veneratus Summorum Pontificum priuilegia, atquè indulgentias piè illuc accedentibus concessas ritè expenderit, variasquè miraculorum imagines oculis perlustrarit.

Sancti Maioli post mortem miracula, & S. Odilonis eius discipuli laudes.

CAPVT III.

Licet, quæ hactenus recensita sunt miracula a S. Maiolo dum viueret edita, & quę post mortem gessit a Petro venerabili Abbate Cluniacense duobus libris comprehensa satis illius sanctitatem testatam faciant, omnesq; trahere in Sanctissimi Abbatis reuerentiam possint, quia tamen S. Petrus Damiani in vita S. Odilonis a se conscripta nonnulla recenset S. Maioli, quæ vtriusquè meritis possunt adscribi, non incongruè me facturum existimaui hoc loco ea describere, præsertim, quod, quidquid est commendationis in alumno, ac discipulo, in magistrum,

atquè

atquè educatorem quodam quasi postliminio redit. Duo præcipuè S. Petrus Damiani enumerat ab Odilone quidem, sed virtute Calicis, quo S. Maiolus in altaris mensa vtebatur, facta. Primum, quo puerum comitiali morbo laborantem, alterum quo loquendi vsu carentem, optatæ restituit sanitati. Verba Damiani hæc sunt.

In eodem quoque Iurensi monasterio, vir Domini Odilo aliquando constitutus, reperit puerum nomine Gerardum, terribili caducæ passionis languore detentum, qui sæpissimè quasi lunaticus corruebat, & cum recidiui languoris impetus obruere consueuerat, vt in eo nequè vox, nequè memoria, nequè prorsus aliqua membrorum officia remanerent, ac ferè a mortuo nihil distaret. Huic homo Dei misericorditer condescendens fratribus, vt pro eo Dei clementiam deprecentur, iniungit, ipse verò ad Sacrosanctũ altare, Mißã celebraturus, accedit. Æger etiã vt intereßet, admonuit, cui mox Eucharistiæ salutaris munus tradidit, deinde, sicut sibi moris erat, sanctificatam aquam cum B. Maioli Calice, propinauit. Nec mora, protinus a puero languor omnis abscessit, salus optata successit, & sic per merita B. viri restituti sibi vigoris incolumitas permansit.

Alterum verò de muto sanitati reddito, sic idem

idem S. Petrus Damiani habet. *Alius (inquit) quoque miles efficaciam edendi sermonis amiserat, hic per visionem admonitus, vt si aquam, qua manus B. Odilonis abluebantur, hauriret, hac, sibi loquendi vires, & amissæ linguæ officium procul dubiò reformaret: Aqua igitur per ministros, fideli furto subtrahitur, altera etiam aqua a viro Dei benedicta, de Calice S. Maioli muto transmittitur, quas ille nimia deuotione suscipiens, mutatis vestibus ingreßus Ecclesiam, quia lingua non poterat, ore cordis orauit, & sic poculo benedictionis accepto, reparatum sibi locutionis officium recognouit, mox etiam expeditè loquens, mirum de se spectaculum cernentibus dedit.* Ita S. Petrus Damiani.

Nemini autem dubium esse debet, potuisse Odilonem summis, quibus apud Deum abundabat meritis, vtriq; horum, quos recensui, sanctitatem a Domino impetrare, voluisse tamen B. Maioli, quem Patris loco etiam mortuum habebat Calice ad eos sanandos vti, tum, vt laus curationis ipsi B. parenti suo tribueretur, tum, vt præcipuæ humilitatis notam, quam a S. olim Maiolo tamquam religiosæ, atq; adeò Christianæ perfectionis fundamentum didicerat, proq; amplissima hæreditate ex vltimæ voluntatis testamento, ab eodem acceperat, demonstraret.

Multò autem luculentius, atq; præstantius cēſendum eſt miraculum aliud, quod idem S. Petrus Damiani de Sanctis iiſdem Maiolo, atque Odilone recenſet, Papiæ in Eccleſia B. Maiolo dicata, accidiſſe, de fure, qui de menſa S. Odilonis pretioſi operis mantile furtim ſublato, mēbris omnibus repentè attractus, ſanari non potuit niſi in Eccleſia S. Maioli, precibus tamen S. Odilonis. Rem, vt geſta eſt, S. Petrus Damiani ſic narrat. *Cum vir Dei (inquit) cum Henrico Rege, qui poſtmodum factus eſt Imperator, in Ticinenſi ſimul vrbe conſiſteret, & Dominicæ Natiuitatis gloriam celebraret, contigit, vt velamen menſæ eius artificioſa textrini laboris operatione conſpicuum, ſacrilega fuiſſet fraude ſublatum. Poſtquam autem vir Dei cum Rege diſceſſit, fur, qui rapuerat, iam ſecurus propoſuit velamen in foro venalium. Sed dum illi diſpoſitio cæleſtis obſiſtit, ſancta diſtrahi præda non potuit. Ter igitur quod ſubduxerat inter nundinarum merces expoſuit, tertiò ſubtiliter attentauit, ſed cum emptoribus de pretio penitus conuenire non potuit, nec inter diſtrahentem, & coementem paciſci valuit venale commercium: quia diuina diſpoſitio conatibus hominum negauit officium. Intereà, ſceleris huius auctorem vltio diuina corripuit, & manus quæ ſacrilegiū perpe-*

perpetrauerant, ac pedes, quibus raptor aufugerat arefaciens, intolerabili dolore constrinxit. Mox itaquè compulsus languore, ad Ecclesiam B. Maioli manibus alienis aduehitur, mantile sublatum ad reatus indicium coram cunctis appenditur, & diuina clementia ab omni populo qui percitus huius famæ rumore confluxerat, imploratur. Sic itaquè B. Maioli meritis, ac precibus, fratrum sibi seruientium sanus, & incolumis factus, velamen reddidit alienum, & recepit semetipsum. Probauit ergò quo præmio dignus esset qui B. offenderat Odilonem. Hactenus S. Petrus Damiani.

Quoto autem anno insigne hoc miraculum Papiæ in Ecclesia S. Maioli euenerit, facilè conijci potest ex supputatione temporis obseruata. Cùm enim Henricus Rex Romanorum nondum ad Imperium euectus nominetur à Damiano, ipse autem a Benedicto VIII. coronam Imperij Romæ vnà cum Cunegunde Augusta anno 1014. acceperit, vt adnotauit Ditmarus lib. 7. cui non dissentit Baronius tom. XI. sequitur, vt ante hoc tempus miraculum euenerit, anno scilicet vel circiter, quo post diuictum Hardusgum, qui, vt Ditmarus ait lib. 6. Longobardiam regis titulo occuparat, Papiam victor accedens, ibidem honorificè susceptus, Rex orconatur, anno Domini 1009.

Gratum autem me facturum lectoribus existimo si oblata hac occasione loquendi de Ecclesia S. Maioli; quam a B. Odilone, & Ciuibus Papiensibus paucos post eius mortem annos, eidem dicatam fuisse constat, rem planè notatu dignissimam de liberatione Benedicti VIII. Pontificis Maximi a Purgatorij pęnis, S Odilonis, & Monachorum Cluniacensium in Collegio S. Maioli Papiæ degentium precibus, hic adnotauero. S. Petrum Damiani a Surio, & Baronio relatum, vt maior fides historię concilietur, loquentem, adducam. *Si quis* (inquit) *specialiter per B. Odilonem de pœnis vltricibus sit ereptus, inquirit, quid de reliquis sentias, in Papa Benedicto euidenter addiscat, vt in Romanorum Pontifice, qui omnium Christianorum caput est, valeat liquidò conijci, quid de cæteris meritò debeat existimari. Apostolicus igitur iste, quē diximus, dum adhuc viueret, Beatum virum affectuosè dilexit, reuerenter excoluit, & Apostolorum limina frequentanti, necessarij sumptus opima sæpè subsidia ministrauit. Huic planè mox, vt abijt, germanus eius Ioannes in Apostolica dignitate successit. Iam verò postquam humanis rebus exemptus est, non parui temporis euoluto curriculo, iam dictus Papa, Ioanni Portuensi Episcopo, & alijs duobus, quorum nomina nobis*

nota

nota non sunt per speciem nocturnæ visionis apparuit, eisq; quia pœnalibus esset constitutus in tenebris indicauit; hoc insuper addens, qualiter B. Odilonis venerabilibus meritis cum superna censura liberare decreuerit a tormentis. Obsecrat itaquè per eos, & humiliter flagitat; vt frater eius ad præfatum vnicæ pietatis virũ, agilem quantocyus veredarium dirigat, eumquè suppliciter obsecrans, pro se orare deposcat. Protinus idem Ioannes Portuensis Episcopus, auctoritatis Apostolicæ fultus epistolis, concito gradu Papiam vsquè peruenit; vbi longo, & immoderato, fortassis, accelerato fractus itinere, per monachos Cœnobij B. Maioli Apostolicæ legationis apochas dirigit; omnemq; per eos sancto viro seriem a se cõspectæ visionis exponit. Enim verò, diuino factum esse constat indicio, vt eum apud Cluniacense monasterium Apostolicæ legationis baiulus inueniret. Præcipit itaq; Venerabilis pater, Psalmodias, & orationes ab omnibus priuatim, & publicè fieri, eleæmosinas indigentibus erogari, sacrificium Deo mysterij salutaris offerri. Nec in illo dumtaxat id statuere contentus fuit, sed & per omnia sui regiminis monasteria eiusdem sanctionis edicta mandauit. Cum itaquè fratres hac intensissima deuotione peragerent, & ex ore Sanctorum pectorum fraternæ charitatis flamma prosiliens diuinæ cle-

mentiæ sacrarium penetraret iam præfixi temporis terminus propinquabat, & ecce quidam sanctæ conuersationis monachus, Heldebertus nomine, qui videlicet hoc obedientiæ fungebatur officio, vt inopes aleret, & indigentibus subsidia ministraret. Hic itaquè per soporem vidit, quod, quidam pulcher, ac serenus aspectu, ac solemni quodam nitore conspicuus, claustrum monasterij magno candidatorum agmine constipatus ingrederetur in Capitulū, deinde, vbi pater Odilo cum fratribus residebat, intrauit. Ad eius genua caput humiliter flexit, eiq; (sicut in gestu corporis videbatur) gratias egit. Cumq; frater ille, qui hoc in visione contemplabatur, inquireret, quisnam eßet ille tam decorus, ac fulgidus, qui Sancto viro salutationis officium exhibuit, responsum est ei, quia ille eßet Benedictus Summæ Sedis Episcopus, qui nimirum, idcircò viro Dei gratias ageret, quia, pijs eius, Sanctorumq; fratrum precibus, & tartarei cruciatus euasisset interitum, & cum beatis ciuibus quieturus, supernæ Hyerusalem meruisset ingressum. In hoc valet liquidò deprehendi, quæ de merito B. Odilonis opinio iure poßit haberi. Hactenus S. Petrus Damiani.

Vgo Rex ad tumulum S. Maioli ab ægritudine liberatur. Cuduntur nummi in Gallia cum inscriptione nominis Sancti Maioli.

CAPVT IV.

IMpiè, non minus quàm temerè, Nouatores nostri temporis Heretici, Sanctorum adorationem, sed frustrà, ab Ecclesia Catholica extirpare conantur; qui, dum vni tantùm Deo adorationem deberi volunt, quid inter adorationem Dei, Sanctorumque intersit, aut prorsus ignorare, aut fictè, fraudulenterq; obscurare velle conuincuntur. Neq; est, quod vim faciant in verbis, subsannantes eos, qui nomina Latriæ atque Duliæ a Scholasticis vsurpata, tanquam peregrina vocabula in Ecclesiam inuexerunt; Antiquissimi enim Patres, atq; in primis Augustinus, vt adnotauit Canisius de Corruptelis verbi Dei lib. 5. cap. 15. ijs vsi sunt. Ex quibus, qui Deo, qui Sanctis debeatur cultus, & adoratio, satis clarè perspici potest. Præclarissima est ad

hanc rem illuſtrandam. S. Ioannis Damaſceni doctrina qui libro 4. de fide orthodoxa ſic habet. *Quomodo non ſunt honorandi, qui cultores, amici, & filij Dei, ac noſtris hoſtibus formidabiles, effecti, ſupplicationes pro nobis porrigunt Deo, per quos etiam multa diuina beneficia nobis conferuntur, qui humani generis adiutores exiſtunt, & in quorum ſacris corporibus viuifica quædam miraculorum operatrix virtus, frequenter apparet?* Ex quibus quidem verbis perſpicuè nobis colligere licet, Sanctorum virtutes non ſolùm nobis ad imitandum proponi, verùm etiam precibus eſſe ad eos confugiendum, patrocinium implorandum, honores exhibendos, omnibus deniquè pietatis officijs excolendos. Hic ſemper in Eccleſia Catholica laudatiſſimus vſus, ab Apoſtolorum temporibus religioſè vbiq; a fidelibus ſeruatus, præcipuos per omnes ætatum gradus, cultores habuit; (quidquid blatterent Nouatores, ſpiritu vertiginis ad obſcurandam veritatem exagitati). Ac, ne longius exempla petantur, Vgonem Galliæ Regem teſtem hic aduoco, qui Maioli ſanctitatem, vti, dum is viueret, ſuſpexit, ità poſt mortem, præcipuum ex eius interceſſione fructum tulit. Angebatur fortè Rex peracri, moleſtaq; ſtomachi ęgritudine, applicitaq; remedia, medicorumquè cura cum

nihil omninò prodessent, de Cœlo petere auxilium, implorareq; opem à Sanctis, quorum ergà hominum genus spectatam beneuolentiam norat, decreuit. Assumpto itaq; Rainaldo Episcopo Parisiensi, ac Borcardo Comite, vt Petrus Cluniacensis refert, Syluiniacum ad S. Maioli tumulum se contulit. Vbi dum preces fundit, dum opem implorat, dum sibi propitium Maioli nomen ingeminat, pristinæ se extemplò, sensit redditum sanitati. Ex quo effectum est, vt pro grati animi significatione, non modò Vgo ipse, sed etiam plures deinceps Galliæ Reges, nummos, Maioli, quem patronum Regno adsciuere, insculptos nomine, cudi iusserint. Horum aliquos se vidisse Andreas Quercetanus in Bibliothecæ Cluniacensis additionibus a se factis, affirmat, a Præside Aruernorum Sauerone sibi traditos, qui & valorem nummorum gallico idiomate ponit. Atq; hinc factum est, vt certatim Summi Pontifices, Vrbanus Secundus, Paschalis Secundus, & alij, Syluiniacensem Ecclesiam, vbi Corpus S. Abbatis positum est, plurimis, iisq; amplissimis priuilegijs decorarint, vt ex eorum datis diplomatibus, patet.

S. Ma-

S. Maiolus post 162. à sua morte annos Siluiniaci puerum ad vitam reuocat.

CAPVT V.

AGè verò, quàm efficax S. Maioli intercessio, qua puer iam mortuus, orante matre est vitæ redditus? Iniurius in Maiolum sim, nisi rem totam Petri Venerabilis verbis recensuero. Is ergò sic habet. *Addatur, & illud, quod ferè cunctis miraculis præferri solet, cuiusdam Siluiacensis pueri à morte per S. Maiolum Christi virtute in iam dicto loco facta resuscitatio. Is etenim Sanctus, sicut penè cunctis Galliarum populis notum est, vt magnus vita, sic miraculis, & dum mortalis viueret, & post mortem, maximè insignis extitit. Hæc miraculorum gratia, in tantùm iam per centum sexaginta, & duos annos, hoc est à tempore mortis suæ claruit, vt post sanctam Dei Genitricem, nullum sanctorũ in tota Europa in huiusmodi operibus, parem habeat. Testantur hoc innumeri diuersis morborũ gene-*

generibus pressi, qui ad sepulchrum eius, diuinā clementiam ipsius meritis, sibi misereri precantes, exauditi sunt. Inter quos, & mulier paruum habens filium, infrà hos septem annos similem, imò maiorem, per ipsum, Dei misericordiam experta est. Nam, cum iam puer ille, plusquā triennis esset. Contigit eum morbo correptum, extingui. Indoluit acriter mulier affectu tacta materno, ac doloris nimij stimulis agitata, totam vim animi non tam ad fletum muliebriter, quàm ad fidem constanter conuertit. Excitata namq; mirandis operibus, quæ non solùm frequenter ad sepulchrum sanctissimi Confessoris facta audierat, sed etiam plerūq; viderat, in spem animum erexit, & sibi ab eo posse reddi filium non irrita fide præsumpsit. Vndè statim surgens, non ad præparandam funeris pompam, aut sepulturam festinat, sed mortuo puero inter brachia sumpto, ad Ecclesiam properat, cū quo citatis gressibus velut moræ impatiens pergeret, interrogata à multis quid ferret, & quid sibi vellet, hoc vnum omnibus responsum dabat, Filius (inquit) *meus est, quem mortuum S. Maiolo defero, vt illum mihi restituat. Mirabantur audientes de tam insolita re tam constans mulieris responsum, & exitum rei iam soliciti præstolabantur. Venit tandem mulier ad sancti Sepulchrum cum paruulo, & eum ante altare fide plena deposuit, mira a-*

stantium

stantium expectatio. Nouerant quidem, vt dictum est, & quandoq; viderant multos ibi, Sancti virtute curatos, sed à morte rediuiuum, nec ipsi viderant, nec à patribus acceperant. Attenti ergò tam Monachi, quàm Laici ad tantum spectaculum, nutum Omnipotentis, eiusq; beneplacitum, sustinebant. Mansit puer exanimis ab hora diei prima, dies enim tunc æstiui erant, vsque ad horam nonam. Tunc tandem oculos aperuit, ac matrem quæ proximo loco ei assederat, eũq; materna custodia aßeruabat, tenui, vt puer, voce vocauit; Surrexit mater attonita, & non sola ad eum accessit, hunc viuentem & loquentem, quem mortuum deposuerat, cum multis, qui aderant cernens, spe sua, pietate Sancti se frustratam non esse, agnouit. Fit statim lætus clamor, in populo, & voces altissimæ ad Dei laudẽ, & S. Maioli præconium resonant. Accurrunt fratres meridianis horis regulari more in lectis quiescentes, totaq; Siluiniacus, nulla penè licet villa sit Galliarum Vrbe plebium numerositate inferior, audito tam fœlici nuncio, in momento aduolat. Obtulit hinc deuota mulier puerum sancto, & quia sicut ab vtroque parente primã (vt sic loquar) vitam acceperat, sic à S. Maiolo tam insigni miraculo secundam resumpserat, authoritate materna S. Maioli filium decreuit perpetuò nuncupari. Ne verò legenti superesse

aliquo

aliqua de tanto miraculo dubietas possit, noue-rit me antequam hæc scriberem, bis Syluiniacũ venisse, & tam a matre, quàm a pluribus, fide dignis ea accepisse. Hactenus Petrus Venerab.

S. Maioli Papiæ Ecclesia à quonam erecta, & Congregationi Somaschensi attributa.

CAPVT VI.

QVIA, quæ Papiæ est, B. Maiolo nuncupata Ecclesia cum adiacenti monasterio, nobilissimus locus a Chronico Cluniacensi sæpius appellatur, operæ esse pretium duxi perhonorificæ huiusce nuncupationis caussam inquirere, & à quonam Congregationi nostræ Somaschensi fuerit attributa, adnotare. Certum igitur est, Ecclesiam hanc Beatissimæ Virgini Mariæ fuisse olim, dum adhuc in humanis Beatus Maiolus esset, a Gaidulfo ciue Papiense dicatam, quare, & Cella, seu Capella Gaidulfi dicebatur, quinque autem à Beati Maioli morte annis, S. Odilo eius successor, annuente Gaidulfo

ab Othone III. Imperatore obtinuit, vt Cluniacensis Monasterij cum omnibus suis iuribus, ac redditibus S. Maioli titulo insignita ditioni subjiceretur. Constat hoc ex diplomate amplissimo Othonis Imperatoris Romæ dato, anno 999. regni sui xv. Imperij tertio, quod in Bibliotheca Cluniacensi, pagina 409. habetur, in quo sub pœna centum librarum auri, partim Fisco, partim Cluniacensi Monasterio persoluendarũ prohibetur, ne quis Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Iudex, Vicecomes, aut alia quæuis persona eius imperio subiecta, absq; Abbatis Cluniacensis voluntate, de prædicta Ecclesia S. Maioli eiusq; iuribus decernere, detrahere, aut auferre quoquomodo præsumat; Hanc Ecclesiam, fuisse etiam Cellam Auream, ob aurea plurima, quibus abundabat ornamenta appellatam, vt aduertit Andreas Quercetanus in Notis ad vitam S. Maioli ex Chronico Cluniacensi patet, vbi hæc habentur.

In supradictæ etiam ciuitatis Papiæ loco magno virtutum claruit B. Pater Maiolus numero, quæ multiplicibus populorum referta turbis nobilium, & diuersarum mercium speciebus insignis, quasi quædam Tyrus, & Sidon videtur remansisse, quibus complacet ad sui mercimonij comparationem, aut venditionem venire. Hæc

illius

illius B. Patris Maioli incomprehensibili numero virtutum honorata, lætatur pro illius benedictionis, & visitationis frequentia, vnde adquirit sibi cum maximo cantico laudationum æternalis prouentionis, & vtilitatis commodum. Hinc namq; sanctæ illius institutionis apparet magisterium, dum illud antiqui decoris, & ampliatæ speciositatis monasterium nomine Cella Aurea, eius congaudet meliorari paternitatis gratia. ità Chronicon Cluniacense.

Euolutis autem quingentis septuaginta sex annis ab Othonis concessione Cluniacensibus facta, Gregorius XIII. Pontifex Maximus hanc eamdem S. Maioli Papiæ Ecclesiam cum adiacenti Monasterio, petente S. Carolo Borromæo, Congregationi Somaschensi perpetuò possidendam concessit, titulumq; Congregationis a sanctissimæ recordationis Pio Quinto in numerum reliquarum Religionum, cum facultate emittēdi tria vota essentialia iā tū cooptatę, honorificum esse voluit, Pontificatus sui anno tertio, salutis verò humanæ 1575. cum adhuc vnus tantùm è tredecim Monachis Cluniacensibus, qui illic degere consueuerant, Ioannes nomine, superesset, cui alimenta suppeditanda, dum ei vita suppeteret, à Congregatione nostra, Pontifex iussit. Pro nostrorum verò sustentatione, qui quattuor

 ad

ad minus Sacerdotes, cum duobus Clericis esse debebant, trecentum tantùm libras imperiales, ex tot redditibus Cluniacensium, qui fundando Collegio Borromæo attributi fuerant, ab ipso S. Carolo, & post eius mortem à Gubernatoribus Collegij Borromæi, quotannis erogandas præcepit, indicta tamen excommunicationis latæ sententiæ pœna, nisi intrà præscriptum ab ipso terminum, exiguam illam summam Patribus in S. Maioli Collegio degentibus Gubernatores ipsi persoluerint, vt patet ex Bulla eiusdē Summi Pontificis in archiuio nostro asseruata, cuius exemplar ad me huc Genuam a Patre Domino Iacobo Antonio Valtorta S. Maioli Papiæ præposito, fuit transmissum.

Ecclesiam hanc, vetere a Patribus nostræ Congregationis propter nimiam vetustatem diruta, ac solo æquata, multa quidem illustrāt, ac decorant, auri, argentique ornamenta; Multa item altarium, sacerdotaliumque indumentorum preciosa supellex, at nihil preciosius, nihil pulchrius, aut admirabilius oculis spectandum obijcitur, quam sacrum Beatæ Martyris Afræ corpus, cui, vt Surius tomo sexto, Ado Viennensis, atq; Vsuardus referunt, Augustæ Vindelicorum cum matre Hilaria, ac tribus pedissequis Digna, Eunomia, atq; Eutropia martyriū passæ,

S. Vl-

S. Vldericus Auguſtæ Epiſcopus Eccleſiam cũ monaſterio dicarat, in qua, & eius ſacras reliquias condidit, & Cluniacenſi Congregationi, cuius habitũ, & ipſe aſſumpſerat, vt Trithemius in Chronico Monaſterij Hyrſaugenſis docet, attribuit. Eo autem, octuageſimo tertio ętatis ſuę, Epiſcopatus quinquageſimo, annis functo, Cluniacenſes Monachi, Sanctę Afrę corpus Papiam deportandum, atq; in Eccleſia S. Maioli honorificè reponendum curarunt. Extat Altare cum Icone martyrium eius, flammarum incẽdio cõſummatum, referente, ſub qua in apto, decentiq; loculo ſacra illius martyris pignora aſſeruantur. Neq; audiendus eſt Vincentius Fortunatus, qui, vt aduertit Baronius in annotationibus ad Martyrologium, Virginis titulum Afræ martyri tribuit dum lib. 4. vitæ S. Martini ait.

Pergis ad Auguſtã, quã Vindo, Licusq; fluẽtãt,
Illic oſſa ſacræ venerabere Virginis Afræ.

Luce enim clarius eſt, eam a matre Hilaria genere Cypria, dum adhuc Gentilium errore detineretur, Veneri impudicorum amorum apud Gentiles, Deæ, idcircò fuiſſe dicatam, vt meretricio quæſtu, quem per aliquot annos Auguſtæ exercuit, dotem ſibi compararet, a Beato

autem Narcisso Gerundæ in Hispania Episcopo Augustam profecto, mysterijs fidei edoctam, atq; ad subeundum pro Christo mortem fuisse animatam.

Pallium S. Maioli in eius Ecclesia Papiæ asseruatum à vetustate immune crebra miracula operatur.

CAPVT VII.

QVid mirum, si in Gallia ad sepulchrum, vbi sacrum B. Maioli corpus quiescit miracula crebra fiant, cum in Italia, in Ecclesia eius nomini Papię nuncupata per eiusdem laneum pallium, quo viuens dum iter faceret amiciebatur, admiranda in dies, naturæque vim excedentia ad omnium piè accedentium vtilitatem, assiduè præstentur? Blatterent licet, subsannentq; catholicorum pietatem, ac fidem tenebriones hæretici, nullum est in tota Ticinēsi Vrbe reliquiarum, aut sanctarum exuuiarum genus, quod tamquam votorum suorum scopum, optatæq; sanitatis complementum adhibeant

M fre-

frequentius Ciues illi, tùm ad ſedandos corporum dolores, tùm ad fugandos quoſcumq; morbos, tùm ad expellendos malignos Spiritus, quã hoc ipſum laneum B. Maioli pallium, quod quotannis publicè ſolemni feſto die, eidem Sancto Abbati dicato, exoſculandum, venerandumque proponitur; fideſq; eſt, toto inſequenti anno nulli eſſe obnoxium morbo, qui ſacrum illum amictum piè, ac religiosè fuerit veneratus. Neque admiratione caret, quod ſeptingenti propè quamuis effluxerint anni, ex quo deſijt eo vti Maiolus, ita tamen nulla ex parte vitiatum, atque à tinearum morſibus intactum viſitur, ac ſi nuperrimum eſſet opus textrinæ.

Libet hic Epigramma, quod adhuc Iuuenis, in Accademia Affidatorum, in quam me nil tale merentem, aut expetentem nobiliſſimus, atq; eruditiſſimus ille Accademicorum cętus cooptatum eſſe voluit, ad exercendum, vt moris eſt, ingenium contexui, ſuper hoc argumento apponere.

Quid Regũ chlamydes, gẽmisq; oſtroq; nitẽtes
Suſpicis, aut Cilici vellera tincta croco?
Illa etenim abſumit rerũ inuidioſa vetuſtas,
Temporis ac veluti præda, repentè fluunt.
Hunc potius, vili ex panno, mireris amictum
Maioli, innumeros non timuiſſe dies.

Naturæ hoc, an Artis opus? nihil vtraq;, Cælo
Debetur tota hæc gloria, tantus honos?
Hospes adi, venerare, dato sācta oscula, cernes
Quod potis humanam, est exsuperare fidē.

Atq; hic enodanda mihi est, quę multis irrepsit dubitatio, Cur, cum omnes, qui ex præscripto regulæ a S. P. Benedicto traditæ viuunt, nigri coloris habitum gerere iubeantur, Maioli pallium subfului potius, quàm nigri coloris sit: ex quo fatendum videtur, Pallium illud, aut Maioli non fuisse, aut Cluniacensis Congregationis monachos, alium á nigro, habitum gestasse. Scrupulum hunc omninò mihi S. Petrus Venerabilis IIX. Abbas Cluniacensis ademit, qui in Constitutione XVI. apertè fatetur, morem hunc in Cluniacensi monasterio paulatim irrepsisse, vt eo coloris habitu quisq; vteretur, quem vellet, quod ex humilitate, aut ex necessitate id primò sit factum, necne, incertum; illud quidem certissimum, vti sunt ad malum potius, quàm ad bonum amplectendum prona hominum ingenia, tot inde enata scandala, vt ad ea tollenda, extirpandaq; peculiari opus fuerit Constitutione, ne quisquam nisi nigri coloris vestibus indutus, incederet. Verba Constitutionis ita se habēt. *Causa* (inquit) *huius fuit suprà quàm dicere velim, sicut & ipse vidi talium vestium notabiliter*

inhonesta, & turpis curiositas qua olim multi nostrorum, non aliter quàm sæculares homines sericis, varijs, vel grisijs vestium generibus se comebant, & electo ad intimam cordis humilitatem designandam humiliore cunctis coloribus nigro colore, ipsa repugnante natura, ornare se, velut sponsi procedentes de thalamo summo studio contendebant. Versa res iam erat in habitum, nec in ijs delinquere se cæcati vsu longissimo, sentiebant. Hactenus Petrus Venerabilis.

Et sanè, cum qui intrà Sacra Claustrorum septa degunt, renunciasse mundo, & pompis eius videantur, nihil alienius ab eorum vitæ rationibus, quàm si nitorem, luxum, vanitatemq; in vestitu ostentent, & se longè alios, ab ijs qui esse deberent, exhibeant. Hos acutè, ac verè reprehendit S. Bernardus lib. 3. de Consideratione. *Forma hæc vestium* (inquit) *deformitatis mentium indicium est. Quid sibi vult, quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempè habitu milites, quæstu clerici, actu neutrum exhibent.* ità ille. Religiosorum hominum vestes, sponsæ vestibus similes esse debent, quæ a Domino mereantur, non alio, quā thuris odore commendari, vt aduertit S. Gregorius Nissenus super ea verba, Odor vestimentorum tuorum sicut odor

 thuris.

thuris. Hom. 9. *Talis est* (inquit) *odor tuorum vestimentorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori est dedicatum.* Abeant igitur, qui in sacris religionis ædibus non Deo per humilitatem, sed Diabolo per superbiam, luxu, odoreque vestium placent.

Quam grauiter fuerit a Deo mulctatus S. Maioli nominis irrisor, ac Sanctitatis contemptor.

CAPVT VIII.

VAldè a superioribus dispar est, quod mox subnectam exemplum, quo diuina interdum non lento gradu procedens vindicta, iniurias, ac blasphemias in Sanctos viros intortas etiam in hac vita, non vsitatis supplicijs, aut consueto mortis genere mulctare consueuit. Quinimò illud maximè mirandum est, acrius Sanctorum, quam proprias vlcisci iniurias, Deum consueuisse. Patet hoc apertissimè Leuitici 14. de blasphemo in Deum, & maledico in Moysem, de quibus cum consuleretur Deus, quid facto o-

pus

pus esset, iussit deduci extrà castra maledicum lapidibus a populo obruendum, de blasphemo omninò reticuit. Quod admirans Isidorus Clarius explicans locum illum, *Deus (inquit) cui sui curæ sunt, magis voluit vlcisci iniuriam Moysis, quam propriam contumeliam*. Sic Dauid Semei, Nabal, & Absalon vti proprias facilè remisit iniurias, quas autem Rex Ammonitarum Annon, legatis suis irrogauit, ità acriter vltus est, vt maximo belli apparatu eum aggressus, quadraginta millia hostium equitum internecioni dederit, quadraginta octo millia in fugam verterit, reliquos omnes in duram seruitutem abstraxerit. Quas ergò pœnas non reposcet Deus ab ijs, quos in Sãctos, qui veluti internuncij, ac legati ipsius sunt, contumeliosos animaduertet? Verè, longanimis in ferendis peccatoribus, at in puniendis Sanctorum irrisoribus, omninò properus. Nec vana a me dici, blasphemi, atq; irrisoris nominis B. Patris Maioli exẽplum, si quando aliàs, apertè declarabit. Rei ego seriem, vt euenit, ijsdem planè verbis, latinè tamen redditis, quibus ad Collegium nostrum S. Maioli Papiæ ab ijs, qui interfuerunt, publicisquè tabulis consignarunt, transmissa est, hic notabo. Est in Vicentino agro Venetæ Reipub. ditionis, vicus non ignobilis (Luminia-

num dicunt) vbi Ecclesiam B. Maiolo nuncupatam cum paræciæ titulo regebat Sacerdos quidam bonæ famæ, cui nomen Octauianus Cornacchia. Anno igitur sæculari 1600. sexto idus Maij, feria quarta, in quam incidit peruigilium festi S. Maioli Abbatis Cluniacensis, frater Ioannes quidam a Marostica, qui familiæ in monasterio S. Pancratij, non longè a Lumiano posito, erat adscriptus, Octauianum rectorem prædictum adiens, sic est allocutus. *Crastinus erit huius tuæ Ecclesiæ S. Maiolo dicatæ dies festus: volo tuus esse commensalis, ac festi cultor; Cæterùm, dic amabò, quinam fuit, bone Deus, hic S. Maiolus? quis illum beatum, quis Sanctum effecit? peream, si gesta illius aut vitam apud aliquem descriptam auctorem deprehendi. Vis dicam? Puto illum cerdonis, aut cæmentarij alicuius, ne peius dicam, fuisse filium.* His auditis bonus ille Sacerdos. *Malè* (inquit) *de Sanctissimo Abbate, maximiq; apud Deum meriti, o Pater, loqueris; lege, si lubet, Romanum martyrologium; scrutare antiquos scriptores, cognosces profectò, quam longè a veritate abeas, quamq; temerè, ac perperam de Sanctis viris iudices.* His non sine quadam animi commotione, atq; irâ prolatis, discessit. Postera die Ascẽsioni Dñi, Sanctoq; Maiolo dicata

Luminianum adijt Frater Ioannes, qui statim atq; Rectorem Ecclesiæ Octauianũ conspexit. *Nonnè*, exclamat, *hesterna die benè ego dixerã, Sanctum hunc tuum Maiolum, quem tu tantopere commendas, ac prædicas, cerdonem, aut viliorem aliquem opificem fuisse? Euolui libros, vt monueras. Legi Martyrologium, & nusquam de Maiolo mentio; nusquam Maioli nomen mihi fuit obuium. Ecce tibi Martyrologium:* Quod illicò extractũ è sinu, Sacerdoti porrexit. Exarsit animo, ac suprà quam credi possit, indignatione Sacerdos Octauianus, vixq; moderari sibi potuit quin illum pseudo monachum liberaliter maledictis exciperet. Martyrologium itaq; capiens, statimq; aperiens, ad prioris se se exhibẽtis paginæ conspectum (mirũ dictu) in S. Maioli nomen incidit, quo malè illi feriat o fratri com monstrato. *En* (ait) *quod tu tantoperè spernis, ac vituperas, venerandum Maioli nomen.* Horruit ad eius aspectum miser ille, veritatemq; fateri coactus, vt sibi ignosceret, rubore suffusus, Sacerdotem rogauit. Celebrabantur eo tempore in Ecclesia Missæ, quæ decem, aut duodecim numero esse debebant; quare D. Octauianus monachum admonuit; vt si sacrum peragere vellet, nullam interponeret moram, expeditum enim esse debere reliquum temporis, vt a Reu.

Presbitero Ioanne Antonio Luchino Mussani Rectore circumadiacentiumq; pagorum Vicario foraneo, qui dignitate ceteros anteibat Missa cantetur, ac de more ad populum in laudem S. Maioli habeatur concio. At Monachus incredibili æstuans desiderio ad inuitos etiam verba faciendi, nullum non mouit lapidem, vt sibi illud concionandi munus demandaretur, Vicarium itaq; foraneum, inscio tamen D. Octauiano, adiens, impetrauit ab eo, vt priuatim rem sacram faceret, quod, & cum alijs omnibus Sacerdotibus, qui ad diem illum festum celebrandum aduenerant, præstitit, adeò vt ipse solus ferè remaneret, qui vel renuente D. Octauiano munus illud obiret. Superuenit intereà D. Octauianus, qui quæ acta erant edoctus, toruis Monachum contuitus oculis, *Mené (inquit) reluctante, ac prorsus nolente, & missam cantare, & concionari in Ecclesia mea audebis? absit vt hoc feram.* Quod cùm minitabundus sonora voce, elatoquè corporis gestu pronunciaret, omnes qui tunc in sacrario aderant Sacerdotes rogare eum cœperunt, cohiberet se, ac, ne scandalum aliquod oriretur, non nihil de suo iure remitteret, locumq; iræ daret. Hac igitur conditione res est, composita, ab habenda concione Monachus abstineat, Missam cantet. Sed;

o quam ab humanis longè absunt diuina consilia? Cantare, & concionari malo suo voluit infelix ille, intra enim Missarum solemnia conuersus ad Populũ de Fide, Spe, & Charitate verba se facturum proposuit. Cumq; multa de Fide etiam ad stomachum dixisset, de Spe multò plura dicturus, in hæc ipsa verba prorupit: *Vos (inquit) o miseri voluptatibus dediti, curisq; sæcularibus implicati, nequè Deum, nequè Sanctos veueremini; tempus inaniter consumitis, ac peccatorum mole obruti, otio vacatis, ludis, atq; scurrilitatibus incumbitis, nimium de Dei misericordia præsumentes. An vos latet, omnibus boni latronis gratiam non concedi? An nescitis plerumq; accidere quod numquam obuenturum credebatur? Nonnè videtis morbis adeò grauibus mortalium corpora ex insperatò affici, ac diuexari, vt vocem plerumq; auferant, sensus opprimant, ac morte inopinata afficiant? quid graßatorum insidias, inimicorum proditiones, hostiles aggreßiones, atq; impetus commemorem? quid? quod, & è cælo fulmina, aut quid simile, ita repentè, ac subitò plerumquè in collum alicuius proruit, vt miser maneat.*

Hæc nouissima verba vix expresserat, cum ecce occulta Numinis vi, contignatio illa, quæ trabalibus infixa clauis inter vtrumq; parietem super altare

altare eminebat tanto fragore, ac ſtrepitu diuellitur, vt laxatæ rotæ maioris tormenti manuarij bombum referret, quæ ſuper collum miſeri Concionatoris prolapſa, illum & ad terram deiecit, & vocem eripuit, ſenſibusq; deſtitutum diù humi proſtratum detinuit. Hoc audito ſtrepitu, omnes quotquot erant in Eccleſia partim arma arripere, partim fuga ſalutem quærere, partim quid ſtrepitus ille portenderet, ſoliciti inquirere. At verò qui propè altare concioni intenti aſtabant, rei nouitatem admirati, peſſima ſibi in concione ominatum Concionatorem circumſtantes, curioſius an vita, an ſpiritus, an halitus in eo ſupereſſet, rimabantur. Illud autem mirabilius, quod contignatio illa, quæ tanti ponderis, ac grauitatis erat, vt eam duo vix poſſent homines toto corporis conatu humo tollere etiam caput D. Vicarij Foranei, ac Rectoris Eccleſiæ Villę Garcellenſis humerum percuſſit, multorumq; aut brachia, aut pectus, aut crura tetigit, neminiq; damnum, aut vulnus intulit, vni tantùm pileo, quo erat capite tectus, ad terram deiecto, hominem nil læſit. At poſt ſemihoræ circiter ſpatium infœlix Concionator recuperatis vtcumq; ſenſibus, vbi primùm loqui potuit. *Filij* (inquit) *S. Maiolus verè eſt Sanctus, S. Maiolus verè eſt Sanctus*; hæc cùm

iden-

identidem repetijsset, ac sępius iterasset, veniam de blasphemia in S. Dei Confessorem, & Abbatem Maiolum publicè popoſcit. Hac peracta confessione, cuidam impositus tabulæ, ad viciniorem domum deportatus, totis viribus corporis destitutus, nihilq;, præter linguam, qua vteretur liberum habens, post quindecim dierũ incredibiles toleratos dolores, præmissa longiori exomologesi excessit è viuis. *Atq; ego Presbiter Rodomontius Serminatus Vicentinus, omnibus, quæ superius enarrata sunt, præsens interfui, oculisq; perspexi, quoniam per id tempus Reuer. D. Octauiani Cornacchiæ Luminiani Rectoris hospitio vtebar, inuitatus ab eo perhumaniter, vt solemnitatem illam S. Maioli cum homine amicissimo celebrarem, perq; dies aliquot secum familiariter commorarer. Quoniam verò sæpius apud plurimos casum hunc, qui miraculi instar apud me est, recensui, rogatus à multis, vt illum, vti se habuit ordine exponerem, scriptisq; consignarẽ, libens feci, nulla fraudis, aut mendacij suspicione, cum multi adhuc superstites sint, qui optimè illum recolere, memoriaq; tenere possunt, vti sunt Ioannes Andreas Cauatiola Barbarensis, Ioannes Dominicus Munarius de Ponte Nansi, Hercules Baldinatius Luminiacensis, multiq; alij, quos ne longior sim, omitto. Ex Vico Barbarani. Anno Dñi 1610.*

Auctorum nomina, qui de S. Maiolo scripserunt, seruata temporum ratione.

CAPVT IX.

QVam praue, ac temerè pseudo ille Monachus (vt superiori capitulo dictum est) B. Maioli nomen irridens, dicterijsque proscindens se gesserit, & quam meritas suæ temeritatis pœnas prolabentis trabis ictu pressus exsoluerit, facilè cognoscet lector ex auctoribus hoc cap. allatis, in quorum nullo, ex tanto numero, ac ne in Martyrologio quidem ad horas canonicas quotidie, in Ecclesijs prælegi solito ab eo fuisse visum nomen Maioli, mirum profectò est. Ex quo verum id esse affimare licet, quod vulgò dicitur *Neminem nisi a seipso lædi.* Infęlicissimum quippè illud mortis genus facile vitasset, si in Sanctorum laudes pronior, quàm in contumelias fuisset. Hic ego, auctores illos proferam, qui B. Maiolum, vel de facie nouerunt, vel proximi illius ætati fuerunt; sed neque eos

præteribo,qui primos illos sequuti,ob spectatam nominis, atq; eruditionis famam digni habentur,quibus fides habeatur, quiq; omnes honorificam de B. Maiolo mentionem fecerunt. Primus igitur locus S. Odiloni(Odilium perperam appellat Coccius Sabellicus Enneade 9. lib. 2.) Maioli ipsius discipulo debetur, qui sanctissimi præceptoris sui vitam,quamuis panegyris in morem, est complexus. Hic est ille Odilo de animabus, quę purgatorio igne cruciantur optimè meritus,a quo Cluniacensi in monasterio instituta primùm anniuersaria omnium fidelium defunctorum commemoratione, laudabilem hunc morem vbiq; locorum seruandum, Summi Pontificis auctoritate sacris legibus sancitum est. Vitam eius S. Petrus Damiani accuratè scripsit qui post 56. sui regiminis annos obijsse fęliciter dicitur anno 1148.

Secundus erit Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis, S. Odilonis discipulus, qui multa de S. Maiolo scripta reliquit, sed præcipuè cap. 5. lib. 3. suæ historiæ sic habet. *Post hunc Aymardum Sanctus, ac venerabilis eligitur Maiolus.*

Tertius Adamarus Monachus S. Martialis vicinus eorum temporum, qui de Sanctis Maiolo, atq; Odilone sic ait, *S. Maiolus Abbas Cluniacensis*

niacensis moritur, & ei succedit Odilo virtuti- bus non dispar.

Quartus, Frodoardus eiusdem sæculi scriptor, qui sic habet, sub annum 994. *His diebus S. Abbas Maiolus Cluniacensis migrauit ad Dominũ.*

Quintus Lambertus Schafnaburgẽsis, qui vixit anno 1077. in sua historia Germanica sic habet. *Anno 994. S. Maiolus Abbas obijt.*

Sextus S. Petrus Damiani, qui claruit anno 1060: dum vitam S. Odilonis scribit de S. Maiolo hæc habet, *Odilo, dum ad grandiuscula iam ætatis adolesceret incrementum, prius apud S. Iulianum Martyrem factus est clericus, deinde B. Maioli Confessoris egregij se magisterio tradidit, & in Cluniacensi monasterio habitum sanctæ religionis accepit.*

Septimus, Sigebertus monachus Gemblacensis, qui vixit anno 1011. in suo Chronico ad annum 943. *Adamarus*, inquit, *Cluniacensium Abbas, substituit sibi Abbatem Maiolum.*

Octauus, Petrus Mauritius, dictus venerabilis, octauus in ordine Abbas Cluniacensis, qui floruit anno 1130, duos integros libros edidit miraculorum S. Maioli, & sæpe alibi de Sanctissimo suo prædecessore meminit.

Nonus, S. Bernardus Abbas Clarauallensis, qui eadem ætate floruit, & Petri Venerabilis ami-

amicissimus fuit, vt ex eorum litteris vltrò, citròq; datis constat in apologia ad Guillelmum Abbatem scripta, ità de S. Maiolo habet, *sic deniquè Sancti Odo, Maiolus, Odilo, Vgo, quos sui vtiquè ordinis Principes, ac præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri consueuerunt?*

Decimus, Vincentius Bellouacensis, qui vixit anno 1210. in suo speculo historiali lib. 24. cap. 88. de S. Maiolo sic habet. *Huius tempore B. Maiolus Maticensis Archidiaconus nobilibus parentibus ab infantia nobiliter enutritus spiritualibus litteris imbutus, & virginitatis titulo decoratus, ad amorem, & obseruantiam Monastici ordinis est conuersus, & sexto, vt ferunt, anno suæ conuersionis à sæculo ab ipso Aymardo Abbate, iam tota corporis valetudine destituto, & oculorum lumine priuato, habito fratrum consilio in locum Abbatis, licet multum renitens, est subrogatus.*

Vndecimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui floruit anno 1445. eadem prorsus verba Vincentij Bellouacensis repetit.

Duodecimus Ioannes Trithemius Abbas Sphaemensis, qui vixit annò 1410. lib. 3. cap. 220. de viris illustribus ordinis S. Benedicti. *Maiolus* (inquit) *quartus Abbas Cluniacensis*

thuris. Hom. 9. *Talis est (inquit) odor tuorum vestimentorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori est dedicatum.* Abeant igitur, qui in sacris religionis ædibus non Deo per humilitatem, sed Diabolo per superbiam, luxu, odoreque vestium placent.

Quam grauiter fuerit a Deo mulctatus S. Maioli nominis irrisor, ac Sanctitatis contemptor.

CAPVT VIII.

VAldè a superioribus dispar est, quod mox subnectam exemplum, quo diuina interdum non lento gradu procedens vindicta, iniurias, ac blasphemias in Sanctos viros intortas etiam in hac vita, non vsitatis supplicijs, aut consueto mortis genere mulctare consueuit. Quinimò illud maximè mirandum est, acrius Sanctorum, quam proprias vlcisci iniurias, Deum consueuisse: Patet hoc apertissimè Leuitici 14. de blasphemo in Deum, & maledico in Moysem, de quibus cum consuleretur Deus, quid facto o-

pus esset, iussit deduci extrà castra maledicum lapidibus a populo obruendum, de blasphemo omninò reticuit. Quod admirans Isidorus Clarius explicans locum illum, *Deus* (inquit) *cui sui curæ sunt, magis voluit vlcisci iniuriam Moysis, quam propriam contumeliam*. Sic Dauid Semei, Nabal, & Absalon vti proprias facilè remisit iniurias, quas autem Rex Ammonitarum Annon, legatis suis irrogauit, ità acriter vltus est, vt maximo belli apparatu eum aggressus, quadraginta millia hostium equitum internecioni dederit, quadraginta octo millia in fugam verterit, reliquos omnes in duram seruitutem abstraxerit. Quas ergò pœnas non reposcet Deus ab ijs, quos in Sanctos, qui veluti internuncij, ac legati ipsius sunt, contumeliosos animaduertet? Verè, longanimis in ferendis peccatoribus, at in puniendis Sanctorum irrisoribus, omninò properus. Nec vana a me dici, blasphemi, atq; irrisoris nominis B. Patris Maioli exemplum, si quando aliàs, apertè declarabit. Rei ego seriem, vt euenit, ijsdem planè verbis, latinè tamen redditis, quibus ad Collegium nostrum S. Maioli Papiæ ab ijs, qui interfuerunt, publicisquè tabulis consignarunt, transmissa est, hic notabo. Est in Vicentino agro Venetæ Reipub. ditionis, vicus non ignobilis (Luminia-

num dicunt) vbi Ecclesiam B. Maiolo nuncupatam cum paræciæ titulo regebat Sacerdos quidam bonæ famæ, cui nomen Octauianus Cornacchia. Anno igitur sæculari 1600. sexto idus Maij, feria quarta, in quam incidit peruigilium festi S. Maioli Abbatis Cluniacensis, frater Ioannes quidam a Marostica, qui familiæ in monasterio S. Pancratij, non longè a Luminiano posito, erat adscriptus, Octauianum rectorem prædictum adiens, sic est allocutus. *Crastinus erit huius tuæ Ecclesiæ S. Maiolo dicatæ dies festus: volo tuus esse commensalis, ac festi cultor; Cæterùm, dic amabò, quinam fuit, bone Deus, hic S. Maiolus? quis illum beatum, quis Sanctum effecit? peream, si gesta illius aut vitam apud aliquem descriptam auctorem deprehendi. Vis dicam? Puto illum cerdonis, aut cæmentarij alicuius, ne peius dicam, fuisse filium.* His auditis bonus ille Sacerdos. *Malè* (inquit) *de Sanctissimo Abbate, maximiq; apud Deum meriti, o Pater, loqueris; lege, si lubet, Romanum martyrologium, scrutare antiquos scriptores, cognosces profectò, quam longè a veritate abeas; quamq; temerè, ac perperam de Sanctis viris iudices.* His non sine quadam animi commotione, atq; ira prolatis, discessit. Postera die Ascēsioni Dñi, Sanctoq; Maiolo dicata

Luminianum adijt Frater Ioannes, qui statim atq; Rectorem Ecclesiæ Octauianū conspexit. *Nonnè*, exclamat, *hesterna die benè ego dixerā; Sanctum hunc tuum Maiolum, quem tu tantopè-rè commendas, ac prædicas, cerdonem, aut viliorem aliquem opificem fuisse? Euolui libros, vt monueras. Legi Martyrologium, & nusquam de Maiolo mentio; nusquam Maioli nomen mihi fuit obuium. Ecce tibi Martyrologium*: Quod illicò extractū è sinu, Sacerdoti porrexit. Exarsit animo, ac suprà quam credi possit, indignatione Sacerdos Octauianus, vixq; moderari sibi potuit quin illum pseudo monachum liberaliter maledictis exciperet. Martyrologium itaq; capiens, statimq; aperiens, ad prioris se se exhibē tis paginæ conspectum (mirū dictu) in S. Maioli nomen incidit, quo malè illi feriat o fratri com monstrato. *En* (ait) *quod tu tantoperè spernis, ac vituperas, venerandum Maioli nomen*. Horruit ad eius aspectum miser ille, veritatemq; fateri coactus, vt sibi ignosceret, rubore suffusus, Sacerdotem rogauit. Celebrabantur eo tempore in Ecclesia Missæ, quæ decem, aut duodecim numero esse debebant; quare D. Octauianus monachum admonuit, vt si sacrum peragere vellet, nullam interponeret moram, expeditum enim esse debere reliquum temporis, vt a Reu.

Presbitero Ioanne Antonio Luchino Mussani Rectore circumadiacentiumq, pagorum Vicario foraneo, qui dignitate ceteros anteibat Missa cantetur, ac de more ad populum in laudem S. Maioli habeatur concio. At Monachus incredibili æstuans desiderio ad inuitos etiam verba faciendi, nullum non mouit lapidem, vt sibi illud concionandi munus demandaretur, Vicarium itaq; foraneum, inscio tamen D. Octauiano, adiens, impetrauit ab eo, vt priuatim rem sacram faceret, quod, & cum alijs omnibus Sacerdotibus, qui ad diem illum festum celebrandum aduenerant, præstitit, adeò vt ipse solus ferè remaneret, qui vel renuente D. Octauiano munus illud obiret. Superuenit interea D. Octauianus, qui quæ acta erant edoctus, toruis Monachum contuitus oculis, *Mene* (inquit) *reluctante, ac prorsus nolente, & missam cantare, & concionari in Ecclesia mea audebis? absit vt hoc feram.* Quod cùm minitabundus sonora voce, elatoque corporis gestu pronunciaret, omnes qui tunc in sacrario aderant Sacerdotes rogare eum cœperunt, cohiberet se, ac, ne scandalum aliquod oriretur, non nihil de suo iure remitteret, locumq; iræ daret. Hac igitur conditione res est, composita, ab habenda concione Monachus abstineat, Missam cantet. Sed,

o quam

o quam ab humanis longè absunt diuina consilia? Cantare, & concionari malo suo voluit infelix ille, intra enim Missarum solemnia conuersus ad Populũ de Fide, Spe, & Charitate verba se facturum proposuit. Cumq; multa de Fide etiam ad stomachum dixisset, de Spe multò plura dicturus, in hæc ipsa verba prorupit. *Vos (inquit) o miseri voluptatibus dediti, curisq; sæcularibus implicati, nequè Deum, nequè Sanctos vereremini; tempus inaniter consumitis, ac peccatorum mole obruti, otio vacatis, ludis, atq; scurrilitatibus incumbitis, nimium de Dei misericordia præsumentes. An uos latet, omnibus boni latronis gratiam non concedi? An nescitis plerumq; accidere quod numquam obuenturum credebatur? Nonnè videtis morbis adeò grauibus mortalium corpora ex insperatò affici, ac dinexari, vt vocem plerumq; auferant, sensus opprimant, ac morte inopinata afficiant? quid graßatorum insidias, inimicorum proditiones, hostiles aggreßiones, atq; impetus commemorem? quid? quod, & è Cœlo fulmina, aut quid simile, ita repentè, ac subitò plerumquè in collum alicuius proruit, vt miser maneat.*

Hæc nouissima verba vix expresserat, cum ecce occulta Numinis vi, contignatio illa, quæ trabalibus infixa clauis inter vtrumq; parietem super altare

altare eminebat tanto fragore, ac strepitu diuellitur, vt laxatæ rotæ maioris tormenti manuarij bombum referret, quæ super collum miseri Concionatoris prolapsa, illum & ad terram deiecit, & vocem eripuit, sensibusq; destitutum diù humi prostratum detinuit. Hoc audito strepitu, omnes quotquot erant in Ecclesia partim arma arripere, partim fuga salutem quærere, partim quid strepitus ille portenderet, soliciti inquirere. At verò qui propè altare concioni intenti astabant, rei nouitatem admirati, pessima sibi in concione ominatum Concionatorem circumstantes, curiosius an vita, an spiritus, an halitus in eo superesset, rimabantur. Illud autem mirabilius, quod contignatio illa, quæ tanti ponderis, ac grauitatis erat, vt eam duo vix possent homines toto corporis conatu humo tollere etiam caput D. Vicarij Foranei, ac Rectoris Ecclesiæ Villę Garcellensis humerum percussit, multorumq; aut brachia, aut pectus, aut crura tetigit, neminiq; damnum, aut vulnus intulit, vni tantùm pileo, quo erat capite tectus, ad terram deiecto, hominem nil læsit. At post semihoræ circiter spatium infœlix Concionator recuperatis vtcumq; sensibus, vbi primùm loqui potuit. *Filij* (inquit) *S. Maiolus verè est Sanctus, S. Maiolus verè est Sanctus*; hæc cùm iden-

identidem repetijsset, ac sępius iterasset, veniam de blasphemia in S. Dei Confessorem, & Abbatem Maiolum publicè popoſcit. Hac peracta confessione, cuidam impositus tabulæ, ad viciniorem domum deportatus, totis viribus corporis destitutus, nihilq;, præter linguam, qua vteretur liberum habens, post quindecim dierũ incredibiles toleratos dolores, præmissa longiori exomologesi excessit è viuis. *Atq; ego Presbiter Rodomontius Serminatus Vicentinus, omnibus, quæ superius enarrata sunt, præsens interfui, oculisq; perspexi, quoniam per id tempus Reuer. D. Octauiani Cornacchiæ Luminiani Rectoris hospitio vtebar, inuitatus ab eo perhumaniter, vt solemnitatem illam S. Maioli cum homine amicissimo celebrarem, perq; dies aliquot secum familiariter commorarer. Quoniam verò sæpius apud plurimos casum hunc, qui miraculi instar apud me est, recensui, rogatus à multis, vt illum, vti se habuit ordine exponerem, scriptisq; consignarẽ, libens feci, nulla fraudis, aut mendacij suspicione, cum multi adhuc superstites sint, qui optimè illum recolere, memoriaq; tenere possunt, vti sunt Ioannes Andreas Cauatiola Barbarensis, Ioannes Dominicus Munarius de Ponte Nansi, Hercules Baldinatius Luminiacensis, multiq; alij, quos ne longior sim, omitto. Ex Vico Barbarani. Anno Dñi 1610.*

Auctorum nomina, qui de S. Maiolo scripserunt, seruata temporum ratione.

CAPVT IX.

QVam prauè, ac temerè pseudo ille Monachus (vt superiori capitulo dictum est) B. Maioli nomen irridens, dicterijsque proscindens se gesserit, & quàm meritas suæ temeritatis pœnas prolabentis trabis ictu pressus exsoluerit, facilè cognoscet lector ex auctoribus hoc cap. allatis, in quorum nullo, ex tanto numero, ac ne in Martyrologio quidem ad horas canonicas quotidie, in Ecclesijs prælegi solito ab eo fuisse visum nomen Maioli, mirum profectò est. Ex quo verum id esse affimare licet, quod vulgò dicitur *Neminem nisi a seipso lædi.* Infęlicissimum quippè illud mortis genus facile vitasset, si in Sanctorum laudes pronior, quàm in contumelias fuisset. Hic ego, auctores illos proferam, qui B. Maiolum, vel de facie nouerunt, vel proximi illius ætati fuerunt; sed nequè eos

præteribo, qui primos illos sequuti, ob spectatam nominis, atq; eruditionis famam digni habentur, quibus fides habeatur, quiq; omnes honorificam de B. Maiolo mentionem fecerunt. Primus igitur locus S. Odiloni (Odilium perperam appellat Coccius Sabellicus Enneade 9. lib. 2.) Maioli ipsius discipulo debetur, qui sanctissimi præceptoris sui vitam, quamuis panegyris in morem, est complexus. Hic est ille Odilo de animabus, quę purgatorio igne cruciantur optimè meritus, a quo Cluniacensi in monasterio instituta primùm anniuersaria omnium fidelium defunctorum commemoratione, laudabilem hunc morem vbiq; locorum seruandum, Summi Pontificis auctoritate sacris legibus sancitum est. Vitam eius S. Petrus Damiani accuratè scripsit qui post 56. sui regiminis annos obijsse fęliciter dicitur anno 1148.

Secundus erit Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis, S. Odilonis discipulus, qui multa de S. Maiolo scripta reliquit, sed præcipuè cap. 5. lib. 3. suæ historiæ sic habet. *Post hunc Aymardum Sanctus, ac venerabilis eligitur Maiolus.*

Tertius Adamarus Monachus S. Martialis vicinus eorum temporum, qui de Sanctis Maiolo, atq; Odilone sic ait; *S. Maiolus Abbas Cluniacensis*

amicissimus fuit, vt ex eorum litteris vltrò, citròq; datis constat in apologia ad Guillelmum Abbatem scripta, ità de S. Maiolo habet; *sic denique Sancti Odo, Maiolus, Odilo, Vgo, quos sui vtique ordinis Principes, ac præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri consueuerunt?*

Decimus, Vincentius Bellouacensis, qui vixit anno 1210. in suo speculo historiali lib. 24. cap. 88. de S. Maiolo sic habet. *Huius tempore B. Maiolus Maticensis Archidiaconus nobilibus parentibus ab infantia nobiliter enutritus spiritualibus litteris imbutus, & virginitatis titulo decoratus, ad amorem, & obseruantiam Monastici ordinis est conuersus, & sexto, vt ferunt, anno suæ conuersionis a sæculo ab ipso Aymardo Abbate, iam tota corporis valetudine destituto, & oculorum lumine priuato, habito fratrum consilio in locum Abbatis, licet multum renitens, est subrogatus.*

Vndecimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui floruit anno 1445. eadem prorsus verba Vincentij Bellouacensis repetit.

Duodecimus Ioannes Trithemius Abbas Sphaemensis, qui vixit anno 1410. lib. 3. cap. 220. de viris illustribus ordinis S. Benedicti. *Maiolus* (inquit) *quartus Abbas Cluniacensis*

Cœnobij; vir fide, & opere clarissimus sexto anno conuersionis suæ Adamaro cedente propter corporis inualetudinem, & visus amissionem pastor dominici gregis constitutus, multis virtutibus, & signis enituit.

Decimus tertius Iacobus Philippus Bergomas, qui vixit anno 1490. lib. 11. supplementi Chronicorum sub annum 950. de S. Maiolo hæc habet. *Maiolus similiter hoc tempore monachus, deinde Abbas Cluniacensis vir certè Sanctus hoc tempore floruit, & post se reliquit maximarum exempla virtutum.*

Decimusquartus Bartholomeus Platina eiusdem sæculi auctor, in Domno Pontifice ità habet, *His addit, & Richardus Scriptor S. Maiolum Abbatem, qui in Cluniaco magnum sui apud posteros vita, & miraculis exemplum reliquit.*

Decimus quintus Vuernerus Rouulenuinchius qui vixit eodem sæculo, in fasciculo temporum ad annum 954. *Maiolus* (inquit) *vir sanctus qui fuit IV. Abbas Cluniacensis eximij feruoris, & abstinentiæ, & reparator Monasticæ disciplinæ claruit.*

Decimus sextus Martyrologium Romanum, ac Monasticum; quæ sic habent: *Ad v. idus Maij apud Syluiniacum depositio S. Maioli Abbatis*

batis Cluniacensis cuius vitas actis meritis fuit præclara, qui fastibus Archidiaconi sublimatus, tractu diuino repentè mutatus, Monachorum pater, & multorum cœnobiorum fundator, in pace quieuit.

Decimus septimus Iacobus Galterus qui vixit anno 1580. in decimo sæculo pag. 608. sic habet. *S. Maiolus IV. Abbas Cluniacensis qui Cælo potitus est anno 993. vt in Martyrologio Romano.*

Decimus octauus Cęsar Baronius qui eadem ætate floruit tomo x. suorum annalium Ecclesiasticorum honorificam de S. Maiolo mentionem facit.

Decimus nonus Antonius Hiepes Hispanus, qui eadem ætate floruit, totiusq; ordinis Benedictini historiam, pluribus voluminibus est Hispanico idiomate complexus, quem saltem non vidisse Alphonsum Villegas, eiusdem nationis hominem, miror. Hunc enim si vidisset, non itá fędè allucinatus esset, vt Maiolo pro Adamaro cęcitatem affingeret, Marcum Marulum, & Simonem Maiolum, atq; auctorem Theatri vitæ humanæ in eundem lapsus errorem sequutus, vt 1. libro demonstratum est.

Venerabilem quidem Patrem Cæsarem de Bus, (non Maiolum) Cauallione in Gallia no-

bilissimis ortum natalibus, auctoremq; piæ, eruditissimæq; Congregationis Patrum Doctrinæ Christianæ, Auenioni erectæ, quam Paulus V. Pontifex Maximus Congregationi nostrę annexuit, scio vtroq; corporeo lumine diuino nutu ideò fuisse orbatum, vt interno mentis oculo cœlestes, diuinasquè res clarius intueri posset. Qua ex orbitate, tantùm abest, vt molestia afficeretur, quin potius duobus se infensissimis hostibus priuatum lætus affirmaret. Huius prętantissimi viri admirabiles vitę actiones, incomparabilesquè virtutes, iam tum quidem editas, sed copiosius, atquè elegantius edi, boni omnes exspectant. Recentiores alios, qui multi sunt, ne actum agere videar, libens prætereo.

S. Maioli corporis effigies; laus pulchritudinis, & Abbatum Cluniacensium numerus.

CAPVT X. & vltimum.

SVperest, vt hoc vltimo, qualiscunq; scriptionis meę capite, Sanctissimi Abbatis Maioli effi-

effigiem, corporisq; lineamenta, ad maiorem ergà ipsum conciliandam reuerentiam, quod qui summorum virorum vitas conscribunt, facere consueuerunt, lectoribus exhibeam. Hanc, quàm fuerit amabilis S. Odilo sic expressit. *Erat* (inquit) *incessu grauis, voce sublimis, ore facundus, aspectu iucundus, vultu Angelicus, omnium membrorum conuenienti dispositione decentissimè comptus; mortalium omnium mihi facilè videbatur pulcherrimus*. Ita S. Odilo. Quam formæ, pulchritudinisq; commendationem, affinem illi, persimilemque esse dixerim, quam de viro constantis, infractiq; animi affert Tertullianus lib. de patientia dum ait: *Vultus illi tranquillus, ac placidus, frons pura; nulla mœroris, aut iræ rugositate contractæ, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infœlicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis, & innoxijs &c.* ità Tertullianus.

Porrò, mihi Maioli pulchritudinem, humanaq; quodammodò maiorem speciè ab Odilone laudatam contemplanti, venit in mentem, quòd Aristot. cuidam ab eo petenti; *Cur quæ pulchra sunt amentur*, respondit, *cæcorum hanc esse interrogationem*, est enim pulchritudo muta quędam commendatio, quam Plato Naturæ prin-

cipatum; Carneades Regnum sine custodibus; Socrates, Tyrannidem non diuturnam appellarunt. Ac licet nihil pulchritudine fugacius; nihil tamen amabilius est, *quod quidem Deus donum propterea largitur etiam malis*, vt Augustinus ait lib. 15. de Ciuit. cap. 22. *ne magnum bonum videatur bonis*. Rarò certè videre est pulchritudinem, arrogantia, fastuque carentem, quare potius animæ, quam corporis pulchritudinem esse quærendam, atq; expetendam, vnanimis est Sanctorum patrum sensus. Si verò vtraq; adsit, egregiæ mētis symulachrum appellari tunc posse pulchritudinem nemo sanæ mentis negabit. Maiolus certè suo sibi iure prærogatiuam hanc adsciuit; cui quod Nazarius in panegyrico Constantini Augusti de ipso admirans habet, meritò aptari potest. *Naturam magnis mentibus domicilia corporum digna metari; ut ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi possit, quantus illos cælestis spiritus intrauerit habitator; veneranda enim pariter, & grata oris Maiestas perstringit simul, & inuitat aspectus*.

Atq; hæc sunt, quæ dicenda mihi fuerunt de Sanctissimo viro Maiolo IV. Abbate Cluniacensi, quę dignitas post 44. Abbates Cluniacensis ordinis Monachos spatio 680. annorum

a pri-

a prima sui fundatione, quæ contigit anno a Virginis partu 910. vsque ad 1528. in sæcularis Clementis vij. auctoritate, petente Francisco Primo Galliæ Rege, in Ioannem a Lotharingia S.R.E. Cardinalem, Commendæ titulo fuit translata.

Quam hodiè vti singularis fidei tesseram, ac Regij in ipsum amoris argumentum exploratissimum, eodem titulo possidet Eminentissimus D.D. Cardinalis, & Dux de Richellieu Armandus Du Plessis Par Franciæ, supremusquè inter Regis Christianissimi consiliarios, in cuius admirabili, spectataquè prudentia spes omnis Galliæ quietis, & gloriæ cõquiescit. Veniam ab eo precatus (si fortè illi in manus hę meæ quales quales lucubrationes inciderint) quòd argumentum hoc, Sanctissimi sui prædecessoris vitam complectens, per se satis amplum, atquè illustre, obscurare potiùs, quam illustrare ingenij, stiliquè mei tenuitate fuerim ausus, futurum ratus, vt extet olim, qui hoc ipsum vberius pertractet, atquè felicius, quod summoperè opto, ac voueo.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini Mariæ, & Sancto Maiolo Abbati.

INDEX
rerum memorabilium.

A

Hel-

H

I

L

Nona-

Petri

S. Sal-

S

F I N I S.